# DE

# Μιμήσεως

# APUD

# PLATONEM ET ARISTOTELEM

# NOTIONE

# DISSERTATIO.

SCRIPSIT

DR. GUILELMUS ABEKEN.

GOTTINGAE,
PROSTAT APUD DIETERICH.
MDCCCXXXVI.

VIRIS OPTIME DE SE MERITIS

# EDUARDO GERHARD

PHILOSOPHIAE DOCTORI

MUSEI REGII BEROL. ARCHAEOLOGO

BORUSSICAE SCIENT. ACADEMIAE ALIARUMQUE SODALI

# GUSTAVO PARTHEY

PHILOSOPHIAE DOCTORI

HUNC LIBELLUM

GRATI ANIMI TESTEM

DEDICAVIT

AUCTOR.

Quo saepius hodie quaeritur de artis non solum praeceptis, sed etiam de ejus, quem teneat in omni vitae genere, loco: eo aptius nunc censemus esse, duorum illorum virorum memoriam celebrare, qui velut sidera splendidissima tam veterum quam nostrae aetatis magnam partem benigna luce illustraverunt. Quae lumina quis negaverit Platonem et Aristotelem esse, quorum alter libris de republica, alter libro de arte poëtica mirum quantum animos aut tardos incitaverit aut incitatos ad puriorem veri cognitionem adduxerit. De his tamen libris antequam — quod in proposito est — singula referamus, pauca juvat in universum disserere de Platone et Aristotele atque omni, quae inter eos intercedit, sententiarum varietate.

Platonem equidem dubito an dignius aliquis laudaverit quam Goethius *), qui eum putat tanquam numen benignissimum in hominum coetum descendisse, non quidem ut cognosceret eos, sed potius ut ex bonorum suorum copia cum iis communicaret, quibus illi carere ipsi videbantur. Nam haec ejus est, ubicunque apparet, indoles. Profunda petit non cogniturus, sed praeceptis potius expleturus immensam voraginem; sublimis fertur ut redeat unde ad terram delapsus est. Quaecunque profert, ad totum aliquod et bonum et

*) Doctr. color. I. p. 84.

verum et pulchrum spectant, cujus desiderium studet in omnium animis incendere. Aristotelem contra videmus toto animo quaecunque ab hominibus procreata sunt, complectentem, et ita quidem complectentem, ut singula cognoscat et quae cognoverit, ad unum congerat, quo denuo ea perlustrentur atque examinentur, locum. Velut bonus architectus, quocunque progreditur, soli, in quo sistit, naturam studet explorare, deinde in eam infodere incipit, donec firmum invenerit, cui aedificium superstruat, fundamentum; loco denique descripto, undique aedificandi materiam supportat, in struem congerit, conjungit, ita ut mox domum surgere videamus, licet aëra petentem, tamen solidissimo terrae fundamento superstructam.

Quae cum ita sint, vix mireris utrumque audiens diversa ratione cum de aliis, tum vero etiam de arte judicantem. Quid? quod Platonem vides non solum aliis quam Aristotelem regulis artem metientem, sed etiam e republica sua, in qua permulta sunt a vitae consuetudine recedentia, poëtas omnino ejicientem. Is locus mirum quantum praeter modum tum laudatus tum vituperatus est. Cum enim aliis accideret ut, nimio hujus philosophi amore abrepti, etiam huic de poëtis judicio prorsus assentirent*), alios videmus sic eum contemnentes, ut cum irrisione fere dimittant**).

Jam licet non sim in illorum numero, qui, haud accuratius examinantes, benevolo animo quaecunque offeruntur, accipiunt, quam maxime tamen horum posteriorum erga philosophum praestantissimum im-

*) Cic. Tusc. IV, 11.
**) Dionys. Halic. ep. de Plat. p. 750. Athen. Deipnos. XI. p. 505. b. 506. a. Heracl. Pont. alleg. Hom. p. 10. ed. Show. Maxim. Tyr. I. 3. p. 41.

pietate fateor me esse offensum, et quidem tum maxime, cum gaudebam et movebar ejus humanitate, qua poëtarum iram studet deprecari. Quid? nonne ipsum audimus fatentem, se invitum fere poëtas e civitate sua removere nec quidquam magis habere exoptatum, quam ut prodeat aliquis poëseos defensor eamque demonstret non suavem solum esse, sed etiam utilissimam. At respiciens summam illam, de qua supra diximus, pulchritudinis atque honestatis ideam, μέγας, ait, μέγας ὁ ἀγὼν, οὐχ’ ὅσος δοκεῖ, τὸ χρηστὸν ἢ κακὸν γενέσθαι, ὥστε οὔτε τιμῇ ἐπαρθέντα οὔτε χρήμασιν οὔτε ἀρχῇ οὐδεμιᾷ οὐδέ γε ποιητικῇ ἄξιον ἀμελῆσαι δικαιοσύνης τε καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς*). Itaque equidem nescio, quinam ex injusta illa irrisione fructus capiatur, sed longe utilius puto, inquirere in illud fundamentum, in quo omnis poëtarum accusatio nitatur, ita ut qui hoc concedat, etiam cetera omnia concedere, qui neget, etiam cetera omnia negare debeat.

Hoc autem fundamentum cum positum sit in ipsa illa, qua et poësis et omnis ars spectantur, ratione, necesse est, ut ad earum principia redeamus; quod facturi cum apud Platonem tum apud Aristotelem inveniemus *μίμησιν* esse, qua omnino nitantur. Cujus tamen prout diversa est notio, diversa est illorum virorum de arte sententia; ita ut, si *μίμησιν* spectas, qualem quisque ponit, cum ipsam cogniturus sis, qualis apud utrumque est, artis naturam, tum artis, qualem uterque dicit esse, in hominum vita auctoritatem. Quamobrem non ingratum nobis facturi videmur, si, quid de ea cogitemus, fusius propositu ri, a Platone incipimus, allatis quidem singulis nostris observationi-

*) De rep. X. p. 608.

bus eo, quo ille in argumentatione sua progreditur, ordine.

## §. 1.

Primum de dicendi ratione (*περὶ λέξεως*) dicturus, quaecunque a poëtis proponantur, Plato dicit esse narrationem aut praeteritorum aut praesentium aut futurorum, eam vero ita institutam, ut sit aut simplex aut per imitationem facta aut etiam mixta *).

Deinde clarius suam sententiam expositurus, loco quodam Homerico, quid velit, ostendere conatur. Nam initio Iliadis, ubi Chryses narratur venisse filiam redempturus et supplicasse Achivis, habemus, inquit, meram narrationem (cum quidem ipse poëta loquatur neque alium loquentem faciat). Jam vero ubi in sequentibus inde a v. 17. poëta simulat ipsum Chrysem esse, dicimus eum *διὰ μιμήσεως* loqui habemusque eam, quam *μίμησιν* dicimus, poëseos formam. Nam *ὅταν γέ τινα λέγῃ ῥῆσιν ὥς τις ἄλλος ὤν, ἆρ' οὐ τότε ὁμοιοῦν αὐτὸν φήσομεν ὅτι μάλιστα τὴν αὑτοῦ λέξιν ἑκάστῳ ὃν ἂν προείπῃ ὡς ἐροῦντα; — Οὐκοῦν τό γε ὁμοιοῦν ἑαυτὸν ἄλλῳ, ἢ κατὰ φωνὴν ἢ κατὰ σχῆμα, μιμεῖσθαί ἐστιν ἐκεῖνον ᾧ ἄν τις ὁμοιοῖ; — Ἐν δὴ τῷ τοιούτῳ, ὡς ἔοικεν, οὗτός τε καὶ οἱ ἄλλοι ποιηταὶ διὰ μιμήσεως τὴν διήγησιν ποιοῦνται* **).

Itaque mixtam videmus esse epicam poësin, quippe quae sit tum *ἁπλῆ διήγησις*, tum *διήγη-*

---

*) De rep. III, p. 392.

*διήγησις*

*ἁπλῆ — ἢ διὰ μιμήσεως γιγν. — ἢ δι' ἀμφοτέρων*

**) De rep. III, p. 393.

*σις διὰ μιμήσεως*; ita ut, si tollis quae ad *μίμησιν* pertinent, habeas simplicem sine imitatione narrationem (*ἄνευ μιμήσεως ἁπλῆν διήγησιν*), sin vero ea, quae pertinent ad simplicem narrationem, fabulam, sive tragoediam sive comoediam.

Patet igitur, omnem poësin fabularumque figmenta aut per imitationem (*διὰ μιμήσεως*), quemadmodum vides in tragoedia et comoedia; aut per enuntiationem poëtae (*δι᾽ ἀπαγγελίας αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ*), quod maxime in dithyrambis videre est; aut per utramque (*δι᾽ ἀμφοτέρων*) confici, ut in heroicis aliisque multis apparet.

In quo nihil aliud monendum, nisi quod Plato *τὴν ἄνευ μιμήσεως διήγησιν* et *τὴν δι᾽ ἀπαγγελίας* unam eandemque poësin esse dicit, scilicet eam, quam nos lyricam appellamus. Itaque cum — quod bene tenendum — in re ipsa non sit ullum discrimen, duplicis nominis haec mihi videtur esse causa, quod *ἡ δι᾽ ἀπαγγελίας* exprimit propriam melici poëmatis naturam, illud *ἡ ἄνευ μιμήσεως διήγησις* non est alia ratione de illa poësi usurpatum, quam quatenus pertinet neque ad epicam poësin neque ad fabulam.

## §. 2.

Sic, ne dicam prima, tamen primaria in poësi videtur esse *μιμήσεως* notio, cum omnis poësis sit aut *μιμητική* aut non *μιμητική*.

Jam quod attinet ad poësin *μιμητικὴν*, quaeritur, num recipienda sit in eam, quam philosophus noster constituit, civitatem? Ad hanc quaestionem quid sit respondendum, pendet ex eo, quod supra dictum est: singulos singula quidem recte conficere posse, minime vero plura: quod si quis plura tractare aggrediatur, in singulis

ita deficiat necesse sit, ut nulla in re evadat egregius. Οὐκοῦν, philosophus quaerit, περὶ μιμήσεως ὁ αὐτὸς λόγος, ὅτι πολλὰ ὁ αὐτὸς μιμεῖσθαι εὖ ὥσπερ ἓν οὐ δυνατός; *).

Ex quo loco vide quantum lucis propriae μιμήσεως notioni adfundatur. Nam si verum est quod Schleiermacherus dicit **), τὴν τοῦ ἑνὸς μίμησιν non esse imitationem in singulari aliquo fabularum genere adhibitam, sed potius imitationem ipsius, quae una est, virtutis ***): facile apparet, apud Platonem eam, qua poësis utatur, μίμησιν a μιμήσει, quam vita exigat, prorsus esse diversam. Vita hominis est propria μίμησις; quae vero a poëta

---

*) De rep. III, p. 394.

**) In notis versioni adjectis p. 544.

***) Quod ut recte intelligamus, tenendum mihi videtur, Platonem rerum, quas artifex μιμεῖται, multitudini ipsam vitam opponere, quatenus una est et simplex.

Summum bonum — quod supra diximus — positum est in virtute, cui igitur omnia postponenda sunt. Ad eam referat homo necesse est, quaecunque aut agit aut patitur, si quidem Dei studet similis fieri quam maxime. Virtus enim est ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν (Tim. Vol. IX. p. 338. Theaet. Vol. II. p. 176.), sive illa harmonia, quae ex arctissima veritatis, pulchritudinis et symmetriae conjunctione progreditur. Quodcunque cum virtute convenit, idem est pulcrum, contrarium autem deforme (Legg. II. p. 656. B. De rep. IV. p. 443. C.). Jam cum omnis vita ad unam conformanda et adstringenda sit virtutis harmoniam: quomodo fieri potest, Plato ait, ut ad talem harmoniam aliquis animum temperet, qui arti simul operam dat aliud quoddam imitanti? Nam hoc intercedit inter vitam atque artem discrimen, quod artifex quidem hominem, homo autem Deum studet imitari.

proponuntur, non sunt nisi *ἀφομοιώματα* ejus, quod ipsa vita proponit.

Huc spectant Socratis verba: cum vix unus idemque homo excellere possit in duobus, licet conjunctissimis inter se, poëseos generibus, ita ut sit et tragicus et comicus poëta: quomodo fieri potest, ut tam in vita quam in arte aliquis simul evadat illustris? Nam *καὶ ἔτι γε τούτων φαίνεταί μοι εἰς σμικρότερα κατακεκερματίσθαι ἡ τοῦ ἀνθρώπου φύσις, ὥστ' ἀδύνατος εἶναι πολλὰ καλῶς μιμεῖσθαι ἢ αὐτὰ ἐκεῖνα πράττειν ὧν δὴ καὶ τὰ μιμήματά ἐστιν ἀφομοιώματα**).

## §. 3.

Quae cum ita sint, proclive est ad intelligendum, quem in civitate Platonica locum poësis sit occupatura; nullum scilicet, cum maxima ejus pars, quae est fabula, prorsus ejiciatur.

Magnam enim esse apparuit, quod ad *μίμησιν* attinet, inter vitam honestam atque artem discordiam; itaque cum virtuti omnia postponenda sint, posterior aut omnino cedat aut ita circumscribatur, ut finiatur discordia, necesse est. Jam vix melius poësis circumscribi et velut in arctiores fines reprimi posse videtur, quam si poëta, res gestas celebraturus, non imitatur, nisi ubi egregie agitur, in ceteris vero utitur ea, qua Homerus, simplici narratione. Sic quidem oratio ejus erit particeps utriusque, imitationis scilicet et narrationis, sed ita ut in longa oratione non sit nisi exigua imitationis pars (*ἔσται αὐτοῦ ἡ λέξις μετέχουσα μὲν ἀμφοτέρων, μιμήσεώς τε καὶ τῆς ἄλλης διηγήσεως, σμικρὸν δέ τι μέρος μιμή-*

---

*) De rep. III, p. 395.

σεως ἐν πολλῷ λόγῳ τῆς διηγήσεως*)). Quae vero oratio universa paene est per imitationem instituta vel paulum quid narrationis habet, ea, licet dulcissima sit, e civitate removenda est neque nisi e longinquo fas est ejusmodi poëtam admirari, tanquam qui propter sapientiam in omnes possit sese vertere formas atque omnia imitari (ἄνδρα δυνάμενον ὑπὸ σοφίας παντοδαπὸν γίγνεσθαι καὶ μιμεῖσθαι πάντα χρήματα).

## §. 4.

Hac ratione Plato duas distinguit orationis species (δυὸ εἴδη τῆς λέξεως), quas ita studet magis perspicuas facere, ut ad artis musicae leges eas revocet. Nam si, dicit, utrique velis subjicere aptum et modum et numerum, alteram speciem haud dubie audies tanquam uno tenore, exiguis sane mutationibus, profluentem, alteram vero omnes modos et numeros percurrentem sive abundantem multis et variis mutationum formis. Hic mihi videtur esse sensus verborum: οὐκοῦν αὐτοῖν τὸ μὲν σμικρὰς τὰς μεταβολὰς ἔχει, καὶ ἐάν τις ἀποδιδῷ πρέπουσαν ἁρμονίαν καὶ ῥυθμὸν τῇ λέξει, ὀλίγου πρὸς τὴν αὐτὴν ἀεὶ γίγνεται λέγειν τῷ ὀρθῶς λέγοντι etc. **) neque possum Schleiermachero assentire, qui Platonem putat hic de propria loqui musices cum oratione consociatione, ita ut simplicem spectet rhapsodiarum recitationem ***). Ipsius artis musicae in sequentibus demum fit mentio neque nobis exhiberi crediderim nostro loco nisi imaginem, quae sic

---

*) De rep. III, p. 396.

**) De rep. III, p. 397.

***) In notis versioni adjectis p. 544.

tamen altiorem occupat quam simplex imago locum, quatenus sumpta est ex ipsa, de qua agitur, re summamque inde habet illustrandi atque explicandi vim. Hoc etiam demonstrare mihi videntur verba: ἆρ' οὖν πάντες οἱ ποιηταὶ καὶ οἵ τε λέγοντες ἢ τῷ ἑτέρῳ τούτων ἐπιτυγχάνουσι τυπῷ τῆς λέξεως ἢ τῷ ἑτέρῳ ἢ ἐξ ἀμφοτέρων τινὶ ξυγκεραννύντες;

Cavendum autem ne quis in distinguenda poësi simplici et mixta (quarum altera dicitur ἄκρατος, altera κεκραμένη) turbetur illis philosophi verbis, quibus epicam poësin definierat esse poësin mixtam (ἡ δι' ἀμφοτέρων). In nostro enim loco ὁ τοῦ ἐπιεικοῦς μιμητὴς ὁ ἄκρατος epicus poëta est, qui cum plerumque simplici utatur narratione, alienam tamen — ut ita dicam — formam induit, si homo ei fingendus est praeclarus omnibusque, quae bonum civem ornant, virtutibus egregius. Ἄκρατος enim dicitur, quatenus differt ab illo poëta, qui quo est ineptior et indoctior, eo plura narrat et omnia imitatur nec quidquam se indignum esse existimat. Hic autem posterior, qui dicitur κεκραμένος, poëta est tragoediarum et comoediarum, de quo jam supra satis monuimus.

## §. 5.

Haec fere est μιμήσεως primaria, qualis ex tertio Platonicae reipublicae libro apparet, notio. Ad eandem noster recurrit libro decimo, quo tandem apertissime explicantur, quae in prioribus leviter tantum erant adumbrata.

Teneas autem priusquam progrediaris id quod supra monuimus: in μιμήσει versantur poëta et epicus et tragicus (οἱ τῆς τραγῳδίας ποιηταὶ

*καὶ οἱ ἄλλοι ἅπαντες οἱ μιμητικοί* p. 395. *οἱ τῆς τραγικῆς ποιήσεως ἁπτόμενοι ἐν ἰαμβείοις καὶ ἐν ἔπεσι μιμητικοὶ πάντες* p. 602.) Quid? quod ipse Homerus dicitur princeps tragoediarum atque ita princeps *τῶν μιμητικῶν* (*ἔοικε γὰρ τῶν καλῶν ἁπάντων τούτων τῶν τραγικῶν πρῶτος διδάσκαλος γενέσθαι*). Deinde ut brevi repetamus, quid definierit esse *μίμησιν*: dicit ita poëtae illam conditionem, qua se ipsum veluti exuit atque alienam suscipit, qua prodeat, personam; ita ut *μίμησις* propria sit dramaticae poëseos natura, qua scilicet illa a mera, qualis est in epicis carminibus, narratione distinguatur *).

---

*) Quae quamvis sit propria *μιμήσεως* notio, latiorem tamen etiam apud Platonem esse ejus significationem, quae non ad poësin solum dramaticam, sed ad omnem poësin atque omnem artem pertineat, nemo negabit, qui cum alios locos Platonicos tum Sophist. 234. A — D. accuratius inspexerit. Οὐκοῦν, philosophus ait, *τόν γ' ὑπισχνούμενον δυνατὸν εἶναι μιᾷ τέχνῃ πάντα ποιεῖν γιγνώσκομέν που τοῦτο ὅτι μιμήματα καὶ ὁμώνυμα τῶν ὄντων ἀπεργαζόμενος τῇ γραφικῇ τέχνῃ δυνατὸς ἔσται τοὺς ἀνοήτους τῶν νέων, παίσαι, πόῤῥωθεν τὰ γεγραμμένα ἐπιδεικνὺς λανθάνειν ὡς, ὅ,τιπερ ἂν βουληθῇ δρᾶν, τοῦτο ἱκανώτατος ὢν ἀποτελεῖν ἔργῳ. — Τί δαὶ δή; περὶ τοὺς λόγους ἆρ' οὐ προσδοκῶμεν εἶναί τινα ἄλλην τέχνην; ἢ οὐ δυνατὸν αὖ τυγχάνειν τοὺς νέους καὶ ἔτι πόῤῥω τῶν πραγμάτων τῆς ἀληθείας ἀφεστῶτας, διὰ τῶν ὤτων τοῖς λόγοις γοητεύειν δεικνύντας εἴδωλα λεγόμενα περὶ πάντων ὥστε ποιεῖν ἀληθῆ δοκεῖν λέγεσθαι καὶ τὸν δὴ λέγοντα σοφώτατον πάντων ἅπαντ' εἶναι;* — Quae cum ita sint, *μίμησιν* tum demum puto dici propriam dramatis naturam, cum ad genera quaedam philosophus studeat poësin revocare: quod in libris de republica factum videmus. Hos

Quibus ita explicatis, philosophus poëtae *μίμησιν* dicit repugnare virtutis, qua vita honesta excellere debeat, imitationi, quippe quae uno gradu propius accedat ad summam veritatem. Quod tamen ut satis intelligatur, accuratiore opus est propriae hujus, quae inter artem et vitam intercedat, differentiae explicatione, quam nunc inde a p. 595. habemus institutam.

## §. 6.

Et primum quidem docendum, quis omnino sit *μιμητής* dicendus; deinde demonstrandum, poëtam et epicum et tragicum hac ratione esse

---

quo accuratius lego, eo arctiorem esse mihi persuadeo *μιμήσεως* notionem, neque Morgensternio possum assentire, qui tanta significationis laxitate eam putat usurpatam, ut non esset nisi perfectissimus repraesentationis modus (der vollkommenste Grad der Darstellung). Quibus enim verbis nescio an tangat propriam dramatis naturam, quippe quae non in perfectiore sed in alia prorsus quam *διήγησις ἁπλῆ* versetur imitandi ratione. At accuratius philosophus in libris de republica *μιμήσεως* notionem definit, cum quidem ex iis, quae supra memoravimus, satis pateat, *μιμεῖσθαι* esse *ἀποκρύπτειν ἑαυτὸν* et sic quidem optimo jure de poëta dici dramatico, qui se ipsum veluti exuat neque in sua adhuc, sed aliena, quam susceperit, persona se oculis repraesentet. Quam vero *μιμήσεως* notionem si tenes, minime concedendum, quod Morgensternius vult, Aristotelem dicens latius aperuisse vocis *μιμήσεως* potestatem et sic Platonem deseruisse, qui vulgarem loquendi usum hac in re pressius sequatur. Quae quam falsa sint, inferius exponemus, ubi non latius extendisse Aristotelem Platonicam *μίμησιν*, sed evertisse ostendere conabimur.

*μιμητικούς.* Tandem de ipsa poëseos *μιμητικῆς* materia breviter monendum.

Prima disputationis pars a p. 596 init. *βούλει οὖν ἐνθένδε ἀρξώμεθα* porrigitur usque ad p. 597 fin. *τὸν μὲν δὴ μιμητὴν ὡμολογήκαμεν.*

Secunda pars inde a p. 597 usque ad p. 602 med. *τοὺς δὲ τῆς τραγικῆς ποιήσεως ἁπτομένους ἐν ἰαμβ.* etc.

Tertia denique pars finitur p. 608. med. *ξύμφημί σοι, ἔφη, ἐξ ὧν* etc.

## §. 7.

Jam ad principium redituris omnis quidem Platonis de ideis doctrina perscrutanda foret; quo tamen cum longius a proposito abduceremur, veniam petimus, si statim cum ipso Platone *ἐκ τῆς εἰωθυίας μεθόδου* — quam ponimus notam esse huic materiae operam navantibus — ad argumentationem progredimur*).

Incipientes igitur a re quam maxime vulgari (nam quod de vilissimis dicitur, per se etiam valet in summis rebus iisque a vitae consuetudine alienioribus); cum de lectis et mensis loquimur, licet numero sint multa, ideas tamen harum rerum non habemus nisi duas, unam lecti, mensae alteram, ita ut artificem, supellectilis utriusque ideam respicientem, opus suum efficere dica-

*) Fusius quae ad hanc rem spectant proponit Ed. Müller libro inscripto: Geschichte der Theorie d. Kunst bei d. Alten. Bresl. 1834. cujus primus tomus in Platonis praesertim philosophia versatur. Nec non laudandus Schrammii libellus inscriptus: Plato poëtarum exagitator. Vrat. 1830, in quo summa cum diligentia Platonis omnis de ideis doctrina explicatur.

mus, unum quidem lectos, mensas alterum. Jam vero praeter hos artifices alii sunt, qui non solum haec et cetera omnia, quae ad supellectilem pertinent, efficiunt, sed etiam quaecunque ex terra nascuntur, nec non coelestia et quae sub terris sunt apud inferos. Neque tamen hoc mirandum, sed quicunque vult, efficere potest istud miraculum, si quidem speculum sumat idque circumferat, modo in terram, modo in coelum versa ejus superficie. Sic enim efficiet solem, sic plantas, sic quaecunque sunt, non autem ipsa, sed eorum tantum imagines. Talis utique faber est pictor, qui et ipse quidem lectum efficere potest, sed non verum.

Nec faber igitur nec pictor verum facient lectum; sed qui verus est et unus in natura existens, eum dicimus Deum effecisse neque alium quendam. Quae cum ita sint, Deum appellamus *φυτουργόν* (*ὃς βουλόμενος εἶναι ὄντως κλίνης ποιητὴς ὄντως οὔσης, ἀλλὰ μὴ κλίνης τινὸς μηδὲ κλινοποιός τις, μίαν φύσις αὐτὴν ἔφυσεν*), cum quo comparatus, faber non est nisi *δημιουργός* et pictor *μιμητής*. Unde facile intelligitur, cum etiam poëta tragicus sit imitator, eum non minus quam pictorem tertio gradu a vero abesse, quippe qui ne umbram quidem veritatis, sed umbrae quasi umbram studeat repraesentare.

## §. 8.

Jam vero — Plato argumentari pergit — ne res quidem, quae apparent, secundum veritatem, quae iis inest, etsi exiguam poëtae et pictores imitantur; nam exiguum tantum rei cujusque fingunt simulacrum et sic, cum nonnisi obiter in rebus repraesentandis versentur, ad id perveniunt ut se omnia posse repraesentare glorientur,

humana et divina. Num tamen tragici poëtae eorumque ipse dux Homerus veram habeant eorum quae repraesentant, cognitionem, jure potest dubitari. Nam si quis possit utrumque perficere, et id quod in imitationem cadit, et ejus simulacrum, utrum eum putas in simulacris fingendis acquieturum atque hoc sibi opus tanquam optimum propositurum; an non satius talis ducet ut ipse laudetur ab aliis, quam ut alienorum semper operum sit laudator? — Homerum respice, qui bella canit, civitatum institutionem hominumque disciplinam, quamnam civitatem rectius condiderit et disposuerit, sicuti Spartam audimus per Lycurgum, alias augustas civitates per alios optime dispositas. Ubinam est res, ad vitae et artis officia aptissima, cujus inventio ad Homerum referatur, ut ancorae ad Anacharsin, mensurae ad Thaletem Milesium? Aut cujusnam disciplinae dux dicitur exstitisse Homerus, quemadmodum Pythagoras celebratur Pythagoricae scholae auctor?

Deinde, ut plane intelligamus, poëtam nonnisi colores quosdam artium singularum nominibus verbisque exprimere, cum ipse de his nihil intelligat, sed imitetur tantum, accedit hoc: cum in quacunque re harum trium artium ratio habenda sit: utentis, facientis et imitantis, ita ut qui faciat aliquod instrumentum, ejus aut pulchritudinem aut pravitatem non aliter compertam habeat, nisi quatenus societatem inierit cum intelligente, nemo autem intelligat nisi qui utatur: imitatorem patet neque ex usu eorum quae efficit neque ex aliorum qui intelligunt, doctrina scire, utrum quae fecerit, pulchra sint an non sint, atque omnem ejus imitationem jocum potius esse quam rem seriam. Atque hoc quidem de omnibus iis valet, qui tragicam poësin in iambis heroicis-

que carminibus tractant; nam hos prae ceteris imitatores esse, e superioribus satis apparuit.

## §. 9.

Deinde si ipsam spectamus poëseos et picturae materiam, utriusque vim intelligimus ad inferiores animi partes spectare. Semper enim ea tantum occupatur animi pars, quam, tanquam omni fraudis generi patentem, praestigiatorum sollertia aggreditur, nihil magicae fraudis intentatum relinquens; non autem illa pars, quae, mensurae ratiocinationisque computatione nisa, fraudem valet propulsare. Itaque picturam fatendum et omnem imitandi facultatem, quemadmodum procul a veritate opus suum perficiant, sic etiam cum animi nostri parte, prudentiae prorsus experte, amicitiam contrahere, unde nihil proficiscatur neque veri neque sinceri.

Ut igitur picturam spectantes ad solam veri similitudinem revocamur, sic etiam poësis, alterum imitandi genus, eo redit, ut imitetur aliquid, quod et ipsum procul est a prudentiore animo*).

---

*) Hic nostrum esse arbitror, priusquam totam Platonis argumentationem in judicium vocamus, disserere de illa, quae ex Platonis sententia inter pictorem et poëtam intercedat, simili ratione. Cum enim Plato distinguat *μίμησιν κατὰ ἀκοὴν* et *μίμησιν κατὰ ὄψιν*, quarum altera sit poësis, altera pictura, utramque spectans, *φαύλη*, inquit, *ἄρα φαύλῳ ξυγγιγνομένη φαῦλα γεννᾷ ἡ μιμητική*. Quae verba satis digna mihi videntur, quae accuratius a nobis perpendantur. Nam cum legerimus supra (Soph. p. 234.) quam Plato intercedere dicat inter picturam et poësin similitudinem, facile concedimus id quod Schrammius dicit l. l. p. 28: „quemadmodum pictura lineis et coloribus, ita poësis hominum affectus

Nam cum hoc affectet poëtae imitatio, ut placeat turbae ex variis gentibus in theatrum confluenti, ea vero non percipiat poëtam, nisi si suos mores in scenam producat: facile intelligitur, coactum

---

actionesque oratione imitatur." Et *φαύλη* quidem utraque dicitur, quatenus non verum aliquod, sed veri speciem proponit. Jam si accuratius cogniturus illam similitudinem etiam animi eam partem spectaveris, ad quam pertinet utriusque vis, in eo etiam conveniunt, quod cum pictura tum poësis non *τὸ λογιστικὸν* occupant sed *τὸ ἀλογιστικὸν τῆς ψυχῆς*. Quae, puto, mali cum malo conjunctio causa est, cur utraque etiam dicatur *φαῦλα ποιεῖν* sive *γεννᾶν*. Poëta *μιμητικὸς*, praeterquam quod animos mobiles et inconstantes facilius potest imitari, quam qui semper sibi constant atque iidem manent, etiam hanc potissimum ob rem tales proponit, quoniam alios multitudo, — et hujus praesertim ratio habenda est — aestimare nequeat et ne animo quidem complecti possit (*ἀλλοτρίου που πάθους ἡ μίμησις αὐτοῖς γίγνοιτο*). Itaque poëta, si quidem hominibus placere vult, quaecunque profert, ad eam animi partem debet referre, quae morum non tam moderatorum, quam impotentium atque effrenatorum delectatur repraesentatione. *Οὐκοῦν δικαίως ἂν αὐτοῦ ἤδη ἐπιλαμβανοίμεθα καὶ τιθείημεν ἀντίστροφον αὐτὸν τῷ ζωγράφῳ καὶ γὰρ τῷ φαῦλα ποιεῖν πρὸς ἀλήθειαν, ἔοικεν αὐτῷ, καὶ τῷ πρὸς τὸ βέλτιστον καὶ ταύτῃ ὡμοίωται.* Itaque ut brevi repetamus quae diximus, licet hoc sit inter utramque discrimen, quod pictura proponit res non veras quidem, sed ita ut verae appareant, poësis autem non veras quidem, sed ita ut multitudini placeant, in eo conveniunt, quod uti illa placanda inferiore animi parte superiorem, ita haec explenda vulgari cogitandi ratione altiorem illam, qualis philosophum decet, non negligit solum sed etiam deludit decipitque.

esse poëtam sequi τὸ πάθος, ita ut — si licet exemplo uti — virum propositurus, qui filium amiserit carissimum, non proponat eum dolori repugnantem, sed potius dolore abreptum et omni solatio destitutum. Quamobrem jure poëta ejiciendus e civitate, quippe quae civibus gaudere debeat non languidioribus mollioribusque, sed strenuis ac fortibus.

Sed maximum poëseos hoc existimandum est detrimentum, quod probos quoque viros, paucis admodum exceptis, corrumpere valet. Nam et optimi quique nostrum, cum audimus Homerum aut alium quemvis tragicum imitantem heroum aliquem dolore afflictum, vociferantem et pectus percutientem, delectamur quodammodo ac serio studioseque eum tanquam bonum poëtam laudamus, qui sic nos maxime alienae conditionis valeat participes reddere. Et jure ille quidem laudandus. Sed quoties aliquem nostrum proprius invadit moeror, longe alii atque antea sumus: querelam reprimimus atque, ut viros decet, dolorem studemus superare. Nonne igitur absurdum est, eum, qui talem spectet, qualem se esse minime velit, virum, hunc non abominari, sed eo delectari quam maxime? Neque etiam tantae absurditatis fructus desiderabitur. Nam si, delectati semper rebus humilioribus, id quod natura in nobis optimum est patimur obdormiscere (quod quidem eo facilius est, cum, qui repraesentantur, alieni sint homines, quos bono animo sine ullo animi nostri detrimento spectare posse nobis videmur), sensim etiam extra theatrum, deposita animi sublimitate, abjectiorem animum induemus. Atque eadem comoediae est ratio, cum qui primum delectabantur tantum scurrilitate, mox ipsi ad scur-

rilitatem se convertant neque, quae in scena vident, ea in domo sua imitari vereantur.

## §. 10.

Jam, quod reliquum est, universam Platonis, quam de poësi μιμητικῇ instituit, argumentationem, diligentius quantum possumus examinandam esse censemus; quod facturis liceat simul Aristotelem respicere, qui et ipse μίμησιν facit primariam poëseos notionem. Talis utique comparatio eo utilior et quae instituatur dignior nobis videtur esse, quo major est Aristotelis hisce in rebus a Platone differentia. Nam cum hic poëtas jubeat relinquere civitatem a se constitutam, illum videmus ne dubitantem quidem, utrum recipiendi illi sint an non in hominum societatem; quid? quod ipsa illa μίμησις, quae primaria videtur esse causa cur poësin dramaticam Plato putet perniciosissimam, Aristoteli fit potissimum, in quo summa ejus nitatur erga magnum quodque atque egregium artis opus pietas, fundamentum. Sed de hoc inferius quae habemus propositutri, hic Aristotelem speramus nos in celsiorem aliquem ducturum, ex quo Platonis omnem de arte sententiam judicare liceat, locum.

Plato — ut jam ex iis, quae supra memorata sunt, intelligitur — secernit τὰ φαινόμενα a rerum οὐσίᾳ, quae est in ideis. Has cognoscere debet qui veritatem vult cognoscere nec philosophus nominandus nisi qui eorum quae apparent multitudine nihil turbatus, ad solam istam idearum unitatem valeat ascendere *).

Aristotelem contra videmus longe aliam in

*) De rep. V. p. 476.

philosophia viam ingredientem. Tantum enim abest ut ideas secernat ab eo, quo appareant ideae, ut si quod habes ne dicam solum naturae, sed etiam artis opus*), hoc non sit sublimioris ideae

*) Distinguentibus hic naturae (φύσεως) atque artis (τέχνης) opera, haec nobis, ut recte quae de hac re sentimus intelligantur, monenda esse videntur.

Physicorum librum secundum qui legerit, facile videt Aristotelem eandem concedere et arti et naturae in producendis operibus viam, sic tamen ut ars non imitetur naturam — quae quidem falsa foret μιμήσεως interpretatio — sed ut et ipsa opus suum perficiat secundum earundem, secundum quas natura procreat, legum necessitatem. Natura, siquidem recte Aristotelem intelligimus, principium est κινήσεως rerum, quae, dum commutantur, a mera existendi potestate eo perveniunt ut vere existant; quod sub ἐντελεχείᾳ intelligitur (κίνησις ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια ᾗ τοιοῦτον. Phys. III. 1. VIII. 1.). Jam vero natura, in qua rerum fundamentum positum est, nihil facit sine fine; et hic quidem finis (τέλος) est forma (εἶδος), quam induere studet materia (ὕλη) sive τὸ δυνάμει ὄν. Quae cum ita sint, artem vide simili via progredientem, nisi quod locum τῆς φύσεως obtineat artificis ingenium, „in quo et ipso positum est eorum quae fieri possunt origo" (Ethic. VI. 4. Vol. II. p. 57.). Artis vero summus et fere unicus finis forma est, in cujus perfectione artis cujusque operis nititur praestantia. Ac veluti domus — ut Aristotelis ipsis verbis utar — si ex iis esset quae natura fiunt, talis utique fieret qualis nunc arte conficitur: sic etiam arborem quamcunque sive plantam, si non solum natura sed etiam arte fierent, eodem confectum iri modo crediderim, quo a sola arte conficiuntur. Nam de utraque valet, quod Aristoteles dicit: „ut agitur, ita est aptum agi et ut aptum est agi, sic unumquodque, nisi quid obstet, agitur."

deterior imago, sed ideam habeat tanquam in se inclusam, itaque per se absolutum aliquid sit et perfectum. In quo, puto, principio nititur hujus philosophi de arte poëtica liber, quem hanc ob rem praecipue laudaverim, quod tradat neque mera artis praecepta neque meram artis operum recensionem, sed ita potius doctrinam de artibus exponat, ut in singulo quoque artis genere, in generis singula quaque specie, in speciei singulis quibusque operibus singula sui ipsius praecepta doceat esse expressa.

Ex qua diversa, qua uterque ducitur, philosophandi ratione videas quam diversa sint quae efficiantur.

Secundum Platonem stabilitas et veritas in solis ideis est, cetera omnia sunt levia tantum et fluxa, quippe quae non sint nisi idearum imagines sive umbrae. Quarum autem imaginum poëta dat iterum imagines, ita ut ejus ars sit tertio gradu remota a coelesti veritate*). Sed duplicem tenet hujus secundariae — et hac ratione contemnendae sane — repraesentationis viam. Aut enim quaecunque repraesentat, ad se ipsum refert, ita ut omnibus locis ipse appareat, aut se ipsum exuit, ita ut non videas poëtam nisi alienas personas ferentem. Quae autem sui ipsius commutatio est *μίμησις*, cujus non est nisi in illis poëseos generibus locus, quae objectiva dicimus i. e. in poësi tum epica tum dramatica.

---

Jam vide quanto jure Aristotelem negaverimus ideas secernere ab eo quo ideae appareant. Nam si quaecunque apparent sic apparent, ut aliter ea existere neque credibile neque verisimile sit, ubinam ideas putabis esse, quarum quae apparent non sint nisi deterius *ὁμοίωμα*?

*) Cf. F. A. Wolfium in prolegg. ad Homer. p. 104, ubi bene res tractatur.

Secundum Aristotelem quodvis artis opus, tanquam ad ideam aliquam sic conformatum, ut ipsum illam ideam continere videatur, stabilitatem habet atque veritatem in se ipso. Idea autem, quam inesse dicimus, non est nisi id, in quo singularum partium versatur necessitas, ita ut *μίμησις* appelletur rerum repraesentandarum secundum summam earum, quae in ipsis est, veritatem imitatio.

Vides igitur, quam diversa sit Aristotelica a Platonica *μιμήσεως* notione, diversior sane, quam quae hujus dici possit amplificatio; licet non negemus quod Hermannus vult, Aristotelem *μίμησιν* nonnullis locis eadem qua Platonem significatione usurpasse, qua scilicet imitari dicitur is, qui aliam in se personam suscipit *). Sed nihil, puto, magis probat illam differentiam, quam si Aristotelis *μίμησιν* vides non ad epicam solum dramaticamque poësin applicatam, sed etiam ad poësin *διηγηματικὴν* (praeter c. I. *ἐποποιΐα δὴ καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας ποίησις* etc. cf. III. 2. XXIII. 1. XXIV. 8. 9. *καὶ γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς τὰ αὐτὰ μιμεῖσθαι ἔστιν, ὅτὲ μὲν ἀπαγγέλλοντα (ἢ ἕτερόν τι γιγνόμενον, ὥσπερ Ὅμηρος ποιεῖ ἢ ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα) ἢ πάντας ὡς πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους*). Optime autem hoc convenit cum eo, quod supra de *μιμήσεως* apud Aristotelem notione diximus. Nam cum apud Platonem, qui, neglecta altiore artis significatione, *μίμησιν* refert nonnisi ad ipsum artificem in opere suo aut apparentem aut non apparentem, dramatica tantum et epica poësis possint esse *μιμητικαί*, apud Aristotelem contra, qui, quodcunque artis opus ad unam summae perfectionis speciem expressum ratus, *μίμησιν* ponit in

*) Vid. Hermann. ed. art. poët. p. 84.

hujus speciei imitatione, omnis poësis necessario est *μιμητική*.

## §. 11.

Jam postquam Aristoteles nos duxit in sublimiorem, ex quo Platonis de poëtis sententiam perpendamus, locum, hisce observationibus liceat finire quae de ista materia disserere conati eramus.

Cum artis quodcunque opus dixerimus in se ipso habere stabilitatem et veritatem, concedimus ei sublimiorem atque a vitae consuetudine remotiorem, in quo versetur, campum. Jam si, quemadmodum geometras sinimus non omnia docere, sed postulare ut quaedam sibi concedantur, quo facilius quae volunt explicent, sic etiam poëtis permittamus, ut eorum heroes non solum versibus loquantur, sed, quae est haud iniquior postulatio, ut ingenua humanitatis nuditate proponantur: vide quot habeas in scena repraesentationes, quas ad summae veritatis regulas dicas esse expressas. Sed ubi est veritas? In ipsis, puto, illis, quae sunt proposita et quidem ita proposita, qualia esse possint ac debeant (*τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον* Arist. poët. IX. 10.), non quatenus sint aliarum rerum tantum imagines (*ἀφομοιώματα*. Plat. resp. p. 595. cf. §. 2.). Nam si quae repraesentantur non essent vera nisi quia vera sint quae imitantur: ad meram semper in quovis artis opere redeundum esset veri similitudinem, ex qua nunquam Plato ad sublimiorem artis notionem potest assurgere, quoniam ideas secreverit ab eo quo ideae appareant. Quid? quod apud Platonem ars, quae non propriis suis finibus circumscripta est, non potest eo pervenire, ut sit intacta a vitae consuetudine. Unde fit ut ci-

vem Platonicae reipublicae non audias solum summis laudibus cumulantem poëtae artem, qui sua arte nos in alienum quasi statum valeat transponere, sed statim etiam videas ipsius vitam ad heroum, quos in scena spectaverit, exemplar conformantem, neque recordantem, sibi non esse idem quod illis, qui in scenam progrediuntur, concessum. Quae cum ita sint, vide quo jure poëtas, tanti erroris auctores, e sua civitate expellat, in qua vix probi homines, paucis admodum exceptis, tuti sint, quin a poëtis ita corrumpantur. Sed quod ad nos attinet, proborum horum hominum numerus vereor ne delabatur ad homines indoctos, qui, haud intelligentes proprios illos, quibus quodvis artis opus circumscriptum est, fines, quae in scena vident, tanquam numum accipiunt, cujus sit ubique, in vita atque in scena, idem pretium. Nimirum major est ille indoctorum quam doctorum numerus, neque scio an ii, qui sola operis forma ejusque in propriis suis finibus perfectione et absolutione possint delectari, tam Platonis aetate quam nostra fuerint paucissimi.

## §. 12.

Quae praecipue monenda nobis videbantur, cum *μιμήσεως* notionem spectantes, ex hac ipsa studeremus quae philosophus noster de arte sentit illustrare. Jam vero cum contigisse nobis speremus, ut ad fundamentum illud descenderemus, in quo omnis quae apud Platonem est poëtarum accusatio nititur: hoc placet, quo magis perspicua fiat nostra argumentatio, superioribus adjicere.

Platonis rempublicam qui accuratius perlustrat, omnia videt in ea ita comparata, ut virtus, qualem supra descripsimus (§. 2.), egregie adju-

vetur augeaturque, nihil autem reperiatur, quod bonis moribus ullo modo possit esse perniciosum. Sic cum omnis educatio, cujus gravissima pars est musica institutio, eo tendat ut cives quam optimi et beatissimi reddantur, quomodo mirandum, etiam poësin, si omnino velit in rempublicam excipi, ad augendam juvandamque illam virtutem referri et ita quasi coërceri ut et ipsa quemadmodum omnis ars pulchritudinis virtutisque legibus sit subjecta? Neque quenquam sane offendere potest, si poësi praecipue studendum esse philosophus dicit, ut honesta ac proba ingenia imitetur, viros celebret nonnisi fortes et temperatos et qui, haud curantes externa commoda, soli virtuti animos soleant recludere. Itaque etiam Homerus civitate expellitur, licet ipso Platone ejus sortem deplorante, qui cum aliis locis eum ob ingenii ardorem, verborum dulcedinem, rerum descriptarum suavitatem praedicaverat tanquam poëtam praestantissimum, tum vero etiam nunc non dimittit sine laudibus ac praemiis, sed laurea ornatum atque omnibus, quae viro sancto et admirabili quam maxime debentur, honoribus insignem. Nam hoc bene tenendum, non ideo Homerum ex Platonica civitate exterminari, quod ab artis regulis quaecunque canat discrepent, sed quod eorum suavitate molliant animos atque effeminent; aut, quod idem est, Homerum vituperari non tam poëtam quam potius virtutis magistrum *).

Quid autem? nonne recte talia a Platone monentur? nonne justum putabis, ut ad animi honestatem quaecunque referantur neque laudentur

*) Theaet. 152. E. Resp. X. 595. C. 607. A. C. Phaed. 95. A. Legg. III. 682. A. VI. 776. E. Phileb. 62. D.

nisi quae cum virtute conveniunt? Hic puto ad id redeundum quod supra monuimus, poëtae talem concedendum esse extra vitae consuetudinem locum, ut summam habeat ad animos temperandos vim, non quatenus bona sint aut honesta, quae proponat, sed quatenus ad summam formae pulchritudinem et perfectionem sint expressa. Quod tamen non factum esse a Platone, ex superioribus patet, ubi sic maxime differre diximus Platonem et Aristotelem, ut ille quidem in materia, hic autem in forma ponat summam artis auctoritatem.

Tandem restat ut hoc adjiciamus ad excusandum Platonem poëtarum exagitatorem. Cum omnino Plato summum studium ponendum esse dicat in veritate indaganda et cognoscenda, neminem putat bonum suae civitatis civem futurum, nisi qui, rerum externa specie nihil turbatus, ad ipsam earum, quae est in ideis, veritatem valeat ascendere. Quae cum ita sint, non mirandum, a philosopho poësin, utpote tertio gradu a veritate remotam, ad inferiorem locum detrudi. Nam si eorum recordaris, quae supra de cognitione et de natura poëseos disputavimus, facile, puto, concedes, μιμήσεως notionem, qualem Plato definit, excludere accuratiorem rerum cognitionem; quam ob rem iis, qui Platonem student non tam excusare quam refutare, demonstrandum est, aut veritatem non esse id, in quo civium salus nitatur, aut poëtae officium non abhorrere a veritatis cognitione. Et hanc quidem quaestionem solvere vereremur ne juveniles vires excederet, nisi jam totos nos Aristoteli committere consuevissemus, quo nescio quis melius nos possit in recta via servare, si quando dulci Platonis voce tanquam Sirenum cantu relinquere eum pelliciamur. Jam me tanto

fateor flagrare erga praestantissimum hunc et divinum fere philosophum amore, ut mihi quae de eo sentiam prolaturo haud mediocri industria opus sit, ne confusius, sed justo, quali decet, ordine lectoribus singula proponam.

## §. 13.

Itaque progressuris ad ipsum Aristotelem cognoscendum, cujus hucusque nonnisi Platonis causa mentionem fecimus, primum breviter repetendum est, quid significet illa, in qua totus ejus de arte poëtica liber nititur, *μίμησις*. Rerum ea est, ut nobis quidem videtur, secundum propriam earum naturam repraesentatio, sive, ut accuratius exprimam, repraesentatio ejus, quo tales fiunt res quales aut sunt aut ex artificis mente esse debent *). Quae cum ita sint, veritatem videmus

*) Sic definita *μιμήσεως* Aristotelicae notione ne mireris, si eam idem esse putamus, quod Goethius voce "stylo" intelligit. Hujus enim verbis cum equidem nesciam quae accuratius *μιμήσεως* notionem exprimere possint, liceat mihi totum illum locum, qualis T. XXVIII. p. 183. legitur, hic transscribere:

"Gelangt die Kunst durch Nachahmung der Natur, durch Bemühung, sich eine allgemeine Sprache zu machen, durch genaues und tiefes Studium der Gegenstände selbst endlich dahin, dafs sie die Eigenschaften der Dinge und die Art wie sie bestehen, genau und immer genauer kennen lernt, dafs sie die Reihe der Gestalten übersieht und die verschiedenen charakteristischen Formen neben einander zu stellen und nachzuahmen weifs: dann wird der Styl der höchste Grad, wohin sie gelangen kann, der Grad, wo sie sich den höchsten menschlichen Bemühungen gleichstellen darf.

esse id quod proprie ars apud Aristotelem spectat et illam quidem veritatem, sine qua ulla pulchritudo vix cogitari potest; siquidem ad pulchritudinem pertinet, ut res tales proponantur quales esse earum ipsa natura postulat. Atque hoc imprimis tenendum, artifici, cum sit μιμητὴς, plenam esse concessam fingendi vim, ita ut quod producat eandem habeat veritatem et stabilitatem, quam quod imitandum sibi proposuit*). Sed cum

---

Wie die einfache Nachahmung auf dem ruhigen Daseyn und einer liebevollen Gegenwart beruht, die Manier eine Erscheinung mit einem leichten fähigen Gemüth ergreift, so ruht der Styl auf den tiefsten Grundfesten der Erkenntniſs, auf dem Wesen der Dinge, insofern uns erlaubt ist, es in sichtbaren und greiflichen Gestalten zu erkennen."

*) De hoc veritatis et pulchritudinis inter se arctissimo nexu etsi plura dicenda forent, veremur tamen ne longius tali disputatione a proposito nostro aberremus. Facere autem non possumus quin Schilleri verba memoremus, quae nobis in ista materia versantibus forte quadam benigna occurrebant: "Wie hat man sich gequält und quält sich noch, die derbe, oft niedrige und häſsliche Natur im Homer und in den Tragikern bei den Begriffen durchzubringen, die man sich von dem griechischen Schönen gebildet hat. Möchte es doch einmal einer wagen, den Begriff und selbst das Wort Schönheit, an welches einmal alle jene falschen Begriffe unzertrennlich geknüpft sind, aus dem Umlauf zu bringen und wie billig die W a h r h e i t in ihrem vollständigen Sinne an seine Stelle zu setzen." (Epp. ad Goeth. III. p. 160.) Quae verba eo digniora mihi videbantur memoria, quo magis Schillerum vides illo, quo haec scripsit, tempore Aristoteli operam navantem, quem tamen nondum ita intellexerat ut cognosceret quanta esset inter ipsius et Aristotelis de arte sententiam cognatio.

largior sit haec materia, liceat nobis ea, quae ex notione *μιμήσεως* sequuntur, sic dividere, ut primum quae ad artis formam, deinde quae ad argumentum spectant, accuratius perpendamus.

## §. 14.

Est enim hoc maxime, quo adjuvamur, si quando de manca Aristotelicorum praeceptorum traditione desperamus, quod, licet obscurius et brevius multa proposita sint, multum tamen lucis iis affunditur ex iis, quae postea inde colliguntur. Sic nobis, postquam de *μιμήσεως* apud Aristotelem notione loqui coepimus, ea praecipue spectanda sunt, quae per simplicem argumentationem ex illa consequuntur; ac tum tandem veram esse putabimus nostram sententiam, si quaecunque Aristoteles proponit, non solum non repugnant, sed conveniunt iis, quae ad definiendam *μιμήσεως* notionem superiore capite disseruimus.

Consideremus igitur primum quae ad artis formam spectant. Hic ad id statim nobis redeundum est, quod supra diximus, nullam esse, quae non in *μιμήσει* nitatur, poëseos formam (cf. §. 12.). Omnis enim ars apud Aristotelem *μίμησις* est; unde vides, quanta sit hujus notionis a Platonica differentia. Sed de hoc jam supra monuimus; neque restat nisi ut refutemus eos, qui *μίμησιν* dicunt ab Aristotele praecipue ad poësin dramaticam referri, quippe qua, nulla habita poëtae ratione, ipsae personae prodeant ad sensus suos proferendos. Verum quidem, summas laudes ab Aristotele arti dramaticae tribui, sed non ita puto ut tragoedia et comoedia sint illa genera, a quibus ad altera *μιμήσεως* nomen quasi laxiore notione sit translatum (quae est Twiningii et Buhlii sen-

tentia); sed haec potius est, ut mihi videtur, Aristotelis, quam ingreditur, argumentationis via. Cum semper sit poëtae, quaecunque exhibet ita exhibere, ut in se ipsis habeant cur sic neque aliter appareant causam: necesse est omnia poëseos genera sint pari jure *μιμητικά*. Hoc tamen a nobis concedendum est: e ceteris omnibus generibus praestantiorem dare dramaticam poësin *μιμήσει* locum, quatenus facilius sit verum, quod rei est, cognoscere, ubi, neglectis et poëtae et spectantium sive legentium partibus, alienus quasi aperiatur, in quo animus versetur campus (Objective Dichtung). Quae satis patent ex eo, quod tertio capite Aristoteles dicit de poësi, cujus sit triplex secundum triplicem, qua quis singula possit imitari, rationem genus. Licet enim, dicit, iisdem instrumentis eadem imitari, aliquando quidem narranti (vel aliam personam induenti, ut Homerus facit, vel eidem manenti et propriam personam non mutanti) aut omnibus quasi agendo et operando imitantibus. Quocum si confers quod in primo capite de variis artis generibus dicitur, vix est quod dubites, omnibus concedi parem *μιμήσεως* partem. Sed paucis dicendum, quae videatur recta hujus Aristotelici loci lectio, cum Hermannus et qui eum sequuntur, longe aliam ac priores editores in eo constituendo ingrediantur viam. Legunt enim hi pro vulgata, quam nos quidem secuti sumus, sic: *καὶ γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς καὶ τὰ αὐτὰ μιμεῖσθαι ἔστιν, ὁτὲ μὲν ἀπαγγέλλοντα, καὶ ἕτερόν τι γιγνόμενον, ὥσπερ Ὅμηρος ποιεῖ· ἢ ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα· ἢ πάντα ὡς πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους.* Omnis res eo redit, utrum Aristoteles tria poëseos genera: poësin epicam, lyricam et dramaticam, an duo

tantum distinxerit, ita ut alterum sit narrandi alterum agendi genus et illud quidem complectatur et epicam, ubi alias personas induat poëta, et lyricam poësin, ubi semper unus atque idem appareat. Jam vero qui paullulum noverit veterum, qua omnem poësin in *διηγηματικὴν* et *δραματικὴν* ("altera quasi narretur, altera quasi agatur" *)) diviserunt, rationem, facile sibi persuasum habebit, etiam nostro loco idem discrimen factum esse; et quidem ita ut *ἀπαγγέλλειν*, sicut etiam est apud Platonem (cf. §. 1.), referendum sit ad poësin et epicam et lyricam, contra, quae de actione dicuntur, ad solam pertineant artem dramaticam. Itaque non mirandum, verbis *ἕτερόν τι γιγνόμενον* significari carmen epicum sive Homericum, cum Homerus fere "solus sit, qui non modo recte, sed etiam agendo (h. e. *δραματικῶς*) fecerit imitationes" (*μόνος γὰρ οὐχ ὅτι εὖ, ἀλλ' ὅτι καὶ μιμήσεις δραματικὰς ἐποίησεν* **)), lyricam autem poësin esse, quae verbis *ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα* intelligatur. Deinde alterum poëseos genus est dramaticum, in quo videas quam sit necesse ut agatur ab iis, qui finguntur, non de iis narretur. Nam *πρᾶξις* est in qua praecipue nititur ejus natura. Vid. VI. 5. *ἐπεὶ δὲ πράττοντας ποιοῦνται τὴν μίμησιν, πρῶτον μὲν ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τι μόριον τραγῳδίας* etc. — — *ἐν τούτοις γὰρ ποιοῦνται τὴν μίμησιν·* cf. VI. 7. ubi fabula dicitur *πράξεως μίμησις* et XXII. 20. ubi *ἡ ἐν τῷ πράττειν μίμησις* spectat ad artem dramaticam. Nihilominus tamen, ut jam supra diximus, neque *πρᾶξις* est neque *ἀγγελία* quae *μίμησιν* constituunt, sed

---

*) Cic. Tusc. I. 1.
**) Arist. ars poët. IV. 12.

μιμητὴς poëta fit, si res ad veritatem iis propriam describit; quod vero tum maxime factum videmus, cum, suas ipsas partes relinquens, in sola rerum descriptione se totum quasi abdidit. Ideo non tragicum solum sed etiam epicum poëtam spectans: αὐτὸν γὰρ, inquit, δεῖ τὸν ποιητὴν ἐλάχιστα λέγειν· οὐ γάρ ἐστι κατὰ ταῦτα μιμητής *), quibus verbis ex mea sententia nullum eorum opinioni additur momentum, qui μίμησιν propria significatione nonnisi ad artem dramaticam, laxiore tamen sed impropria etiam ad cetera poëseos genera dicunt spectare; sed potius affirmatur id quod supra diximus, poëtam tum esse μιμητὴν, cum in describenda aliqua re (hoc enim bene tenendum, Aristotelem nostro loco non de lyrico carmine, quo ipse poëta appareat necesse est, sed de epico tantum loqui, cujus princeps auctor laudatur Homerus), paucissima ipse loquatur, sed res proponat tales quales sunt sine ipsius interventu. Hoc autem significari verbis κατὰ ταῦτα μιμητής, ex sequentibus patet, ubi vituperantur mali poëtae, qui ipsi per totum poëma agunt (ἀγωνίζονται), pauca autem et raro imitantur. At si μιμητὴς non dicendus nisi qui, suis ipsius partibus relictis, aliena fingat, qua ratione tum lyrica poësis μίμησις dici potest? Talia quaerenti hoc, puto, respondendum: primum lyricae poëseos apud veteres non fuisse talem qualis apud nos ab epica poësi differentiam, quod non negabit qui Pindari carmina legerit, tum vero etiam in illis carminibus, quae maxime ab epicis differant, ut in Anacreonteis aliisque eroticis, ita se ostendere poëtam, ut quaecunque profert, ob veritatem,

*) Arist. l. c. XXV. 2.

qua proferuntur, velut imitatio esse videantur alienae conditionis. Sed de hoc postea.

## §. 15.

Quamvis satis multa de poëseos forma disputata sint, hanc tamen materiam relinquere non possumus, priusquam quaedam de tragoedia addiderimus, quae secundum Aristotelem est poëseos velut fastigium. Nam cum praesertim *πράξεις* studeat exhibere poëta, in quo poëseos genere facultatem suam viresque melius exserere possit, quam in tragoedia, cujus summa (*πρῶτον καὶ μέγιστον*) est actionum constitutio? Ἡ γὰρ τραγῳδία μίμησίς ἐστιν οὐκ ἀνθρώπων, ἀλλὰ πράξεων, καὶ βίου καὶ εὐδαιμονίας καὶ κακοδαιμονίας· καὶ γὰρ ἡ εὐδαιμονία καὶ ἡ κακοδαιμονία ἐν πράξει ἐστὶ, καὶ τὸ τέλος πρᾶξις τίς ἐστιν, οὐ ποιότης *). Quibus verbis si confers quae supra disputata sunt, jam satis habes demonstratum, cur apud Aristotelem, qui omnem poësin in *μιμήσει* ponat, ars dramatica sit primaria, ita ut postea ei dicere liceat: quicunque de tragoedia bona et mala judicare noverit, nosse etiam de poëmate epico: quaecunque enim epopoeia habeat, ea in tragoedia inesse, quae autem haec, non omnia esse in epopoeia **). Sed quod hic

---

*) VI. 12.

**) V. 11. Cm loco cf. praestantissima Goethii verba in libro: "Propylaea" inscripto, quibus simile quid notatur, nescio an Aristotelis ratione habita: "Man hat bemerkt, dafs alle bildende Kunst zur Malerei, alle Poësie zum Drama strebe; und es kann uns diese Erfahrung künftig zu wichtigen Betrachtungen Anlafs geben." (Einl. Bd. I. p. 25.)

maxime me movit, tragoediae mentionem facere, erat quod nusquam clarius putabam elucere μιμήσεως vim, quam ex eo, quod Aristoteles dicit de origine cum omnis artis tum vero etiam tragoediae.

Innatum est — sic legimus c. V. — omnibus hominibus et imitari (μιμεῖσθαι) et gaudere imitamentis (χαίρειν τοῖς μιμήμασι). Atque hac potissimum re homo differt ab aliis animalibus, quod aptus est ad imitandum primamque doctrinam per imitationem percipit. Deinde cum natura nobis etiam insit et harmonia et rhythmus, homines, qui natura ad haec maxime apti erant, paullatim hanc facultatem excolentes, poësin genuerant invito quasi imitandi impetu (ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων). Jam alteri, natura graviores, honestas actiones, alteri, natura humiliores, inhonestas hominum actiones imitari incipiunt; ex quo diverso studio duplex oritur poëseos genus, alteris convicia, alteris hymnos et encomia canentibus. Atque ex his postea facti sunt hi quidem heroicorum, illi vero iamborum poëtae; quemadmodum in Homero videmus, qui unus utriusque formae dedit exemplar *). Cum autem natae essent tragoedia et comoedia, qui ad utramvis poësin ferebantur, secundum propriam naturam, hi quidem pro iambis comoediarum poëtae facti sunt, illi vero pro epicis tragoediarum, quoniam majores et praestantiores formae essent hae quam illae. Itaque tragoedia et comoedia, quarum fuerat in lusibus extemporalibus fundamentum, haec quidem ab iis, qui dithyrambum, illa vero ab iis, qui phallica exorsi sunt, paullatim aucta est, poëtis prima earum vestigia amplius excolentibus. Et

---

*) Margitem respicit Aristoteles.

tragoedia, cum multas mutationes subiisset, substitit, suam ipsius naturam consecuta.

## §. 16.

Omnium, quibus Aristoteles cumulatus est, laudum non minima mihi videtur haec, quod primus accuratius secrevit quae in quavis arte ad repraesentationis formam quaeque ad ejus materiam sive argumentum pertineant. Quod ab eo factum esse, ex nullo magis patet loco quam quo, cum tria genere dixisset esse imitationis, ita pergit: *ἐν τρισὶ δὴ ταύταις διαφοραῖς ἡ μίμησίς ἐστιν, ὡς εἴπομεν κατ' ἀρχάς, ὥστε τῇ μὲν ὁ αὐτὸς ἂν εἴη μιμητὴς Ὁμήρῳ τῇ δὲ Ἀριστοφάνει. πράττοντες γὰρ μιμοῦνται καὶ δρῶντες ἄμφω* *)· Ex quo intelligis non solum, quantum Aristoteles fecerit inter artis formam et argumentum discrimen, sed etiam quanti illud fuerit ad artis cognitionem momenti, cum sine ulla rerum confusione Sophoclem atque Homerum, Homerum atque Sophoclem liceat comparare: cujusmodi comparatio quantum valeat ad faciendam justam praestantissimi cujusque scriptoris aestimationem, vix est, quod pluribus moneamus.

Sed quaecunque est hujus, quam Aristoteles initio operis ingreditur, viae utilitas, nostrum esse censemus, postquam de repraesentationis forma quaedam disseruimus, nunc etiam ad ea proponenda aggredi, quae spectant ad ejus argumentum, ab hac quoque parte multa esse rati, quibus probetur, vera esse, quae de *μιμήσεως* notione superioribus capitibus disputavimus.

Jam primum hoc animadvertendum: Ari-

---

*) III. 4.

stotelicae *μιμήσεως* non solum esse ad ea vim, quae sint imagines rerum vere existentium, sed *μίμησιν* etiam esse rerum fictarum repraesentationem. Vide etiam, quae philosophus noster dicit c. IX. *δῆλον οὖν ἐκ τούτων, ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν ἢ τῶν μέτρων, ὅσῳ ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ἐστι, μιμεῖται δὲ τὰς πράξεις· κἂν ἄρα συμβῇ γενόμενα ποιεῖν, οὐδὲν ἧττον ποιητής ἐστι· τῶν γὰρ γενομένων ἔνια οὐδὲν κωλύει τοιαῦτα εἶναι, οἷα ἂν εἰκὸς γενέσθαι καὶ δυνατὰ γενέσθαι· καθ' ὃ ἐκεῖνος αὐτῶν ποιητής ἐστι.* Quo loco dubito an ullus magis demonstrare possit, quam aliena sit merae imitationis notio a voce *μίμησις.* Nam si recte Aristotelem intelligo, dicit poëtam etiam tum *μιμητὴν* esse, cum ipse fabulae, quam proponat, sit auctor; quid? quod omnino non postulandum esse dicit, ut poëtae fabularum traditarum sint tenaces, quoniam ridiculum sit huic studere, cum etiam quae nota sint, paucis nota sint et tamen oblectent omnes.

Jam omnis res ex mea sententia huc redit: poëta non ita poëta est ut traditam fabulam metrorum ornatu distinctam lectoribus auditoribusve proponat, sed ita potius, ut ipse fabulam sive inveniat sive inventam conformet. Poëta enim est per *μίμησιν* h. e. quaecunque proponit ita proponit, quemadmodum facta ea esse et probabile et verisimile est. Et si contingit ut fingat (*ποιεῖ*) aliquid, quod vere factum esse audimus, nihilominus tamen est poëta, quoniam poëta est per *μίμησιν*, non per meram rerum imitationem.

Atque hic quidem opportunitatem nobis datam esse crederemus quaedam de fabula dicendi, cujus est primarius in poësi, tum epica tum tragica, locus, nisi metuendum esset, ne anticiparemus

quae postea de notione παραδείγματος dicere nobis proposuimus. Jam vero antea concedentibus, poëtam antiquum, paucis admodum exceptis, quaecunque proponat, habere aliquod historica traditione acceptum, quod evertere non liceat (id quod dicitur c. XIV. τοὺς μὲν παρειλημμένους μύθους λύειν οὐκ ἔστι), hic monendum est, nihilominus illum se prorsus liberum ostendere in fingendis operibus, cum ipsum quoque ex Aristotelis judicio invenire deceat et traditis recte uti (αὐτὸν δὲ εὑρίσκειν δεῖ καὶ τοῖς παραδεδομένοις χρῆσθαι καλῶς).

## §. 17.

Alterum autem quod sequitur ex μιμήσεως, quam Aristoteles dicit esse, notione, est, quod non habet modos, quorum alter sit altero aut nobilior aut inferior. Videas hic summam, quae est inter Platonem et Aristotelem differentiam. Nam cum ille loquatur modo de meliore, modo de pejore imitatione, hic non noscit nisi unam imitationem, quae modo circa melius aliquod modo circa pejus versatur. Sic enim legimus c. VIII. 4. καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός ἐστιν, οὕτω etc., cujus sententiae habes optimam iis, quae c. III. disputantur, explicationem. Ἐπεὶ δὲ — ait — μιμοῦνται οἱ μιμούμενοι πράττοντας, ἀνάγκη δὲ τούτους ἢ σπουδαίους ἢ φαύλους εἶναι (τὰ γὰρ ἤθη σχεδὸν ἀεὶ τούτοις ἀκολουθεῖ μόνοις· κακίᾳ γὰρ καὶ ἀρετῇ τὰ ἤθη διαφέρουσι πάντες) ἤτοι βελτίονας ἢ χείρονας ἢ καθ' ἡμᾶς ἢ καὶ τοιούτους. Quae verba quantum valere dicas ad firmandam nostram de μιμήσεως notione sententiam! Μίμησις enim, qualem nos quidem definimus, nullo modo

permittit, ut, quae proponantur, eorum alterum sit altero pejus. Nam cum poëta, quemadmodum diximus, poëta sit, non si versibus aliquid imitari studet, sed potius si quae non sunt ita fingit ut exstitisse ea credideris, aut quae existunt, denuo procreet h. e. ita describat ut sic neque aliter ea esse posse intelligas: per se patet, quodvis artis opus non esse praestans ob id, quod repraesentet, sed propter modum, quo singula necessario quodam nexu ad summas pulchritudinis leges a poëta componantur. Itaque Aristotelem, quippe qui artificis proprium officium non in argumento, sed potius in formâ ponat, artis operi videmus perfectionem aliquam concedentem, etiam si prava sint, quae eo repraesentantur. Sic, cum primum de pictorum *μιμήσει* loquitur et Pausonem dicit deteriores, Polygnotum meliores quam nos, Dionysium autem similes imitatum esse: non est quod Pausonem secundum hanc sententiam Polygnoto pejorem fuisse putemus. Sed uterque egregius, et hic quidem nobiles, quales antiqui poëtae cecinere, heroum figuras fingendo, ille fingendis deterioribus hominibus et quidem ita deterioribus, ut spectatorum, licet non iram, risum tamen maxime movere idonei essent. Quod optime habes probatum, si inter utrumque vides Dionysium Colophonium positum, cujus picturas Aelianus, excepta magnitudine, — *πλὴν τοῦ μεγέθους* — exquisitissimam Polygnoti imitationem continuisse dicit *). Nec non Plinius cum testatur pictorem celeberrimum fuisse**);

---

*) Var. Hist. IV. 3.

**) Nat. hist. XXXV. 11. Cf. Winckelmanni egregiam de hac re disputationem. Hist. art. VII. 16. Lessing. Laocoon p. 11.

unde talem intercedere inter Polygnotum et Dionysium rationem patet, qualem intercedere dicit inter Sophoclem et Euripidem. Sed de hac re postea loqui nobis proposuimus; hic satis est monere, et Pausonem et Polygnotum et Dionysium, licet diversos inter se, tamen suo quemque genere fuisse praestantes; id quod tum maxime intelligemus, cum eodem, quo illi enumerati sunt ordine, laudatos legimus Homerum, Cleophontem atque Hegemonem. Nam etiam horum poëtarum similis ratio est, cum quidem Homerus, quod in Iliade et Odyssea videmus, meliores homines imitetur, Hegemon autem, quem parodias praestantissimas scripsisse ex Athenaeo scimus, pejores et Cleophon, cujus decem tragoedias memorant Suidas et Eudocia, pares homines in scena proposuerint. Sed ne longius aberremus, cum propiora nobis sint quae quaerimus, nonne ipsa inter tragoediam et comoediam, de quibus quotidie loquimur, differentia in eo posita est, quod haec quidem deteriores, illa autem meliores imitari studet? Nihilominus tamen utriusque esse aequam ex Aristotelis sententia auctoritatem optime c. V. accuratius legentibus demonstrat. Ἡ κωμῳδία — sic legimus — *μίμησις φαυλοτέρων μὲν, οὐ μέντοι κατὰ πᾶσαν κακίαν, ἀλλὰ τοῦ αἰσχροῦ, οὗ ἐστι τὸ γελοῖον μόριον. τὸ γὰρ γελοῖόν ἐστιν ἁμάρτημά τι καὶ αἶσχος ἀνώδυνον, καὶ οὐ φθαρτικόν. οἷον εὐθὺς τὸ γελοῖον πρόσωπον αἰσχρόν τε καὶ διεστραμμένον ἄνευ ὀδύνης.* Atque haec quidem una, qua etiam vitia proponere poëtis licebat, via, ut malum proponerent non quatenus malum est, sed quatenus ob infirmitatem et turpitudinem risum movere potest. Quam viam etiam omnes illos secutos esse, qui, sive pictores sive poëtae, non meliores sed pejores quam nos proponere

conati sint, jam supra monuimus; neque restat nisi ut qui legant hasce observationes teneant rogemus, nos, ubi de operis cujusdam praestantia loquimur, minime alterius cum altero comparationem fecisse, sed ita potius praestans id esse dixisse, quatenus suo genere perfectum sit atque absolutum.

§. 18.

Quae tamen non ita velim intelligi, quasi Aristoteles Dionysium tanti quanti Polygnotum, Euripidem tanti quanti Sophoclem aestimaverit. Sed licet hoc non credam, summopere tamen etiam hoc negandum mihi videtur, Aristotelem omnino alterum alterius causa despicere et velut condemnare. Neque hic possum quin iterum laudibus efferam illam, qua a Platone maxime differt, pietatem, quaeque in eo potissimum cernitur, quod, quidquid magni, quidquid praeclari apud veteres exstitit, hujus in scribenda arte poëtica, ne dicam solum rationem habet, sed ad nova ex iis praecepta deducenda se toto animo convertit. Nam cum Platonem videmus, rerum coelesti aliqua specie abreptum, ad eam quaecunque in mundo sunt conformantem, Aristoteles contra, quaecunque mundus offert, diligenter perscrutatus, ex singulis ad celsiorem quendam locum pervenit, unde omnia benigna sua luce illustret.

Itaque quantam etiam esse dicas Aristotelis de Euripide judicii aequitatem! Nam cum magnam Noster civitatem videatur constituere non quidem tradenda praeceptorum regularumque copia, sed potius — qui est unicus philosophiae in arte locus — inquirendo illo nexu, quo singula quaeque, licet varia, inter se conjungantur: Euripidem etiam ei licet, permagnum sane, quamvis

diversum a Sophocle, in civitatem istam recipere. Nam, in *μιμήσει* posita propria poëseos indole, duplicem ait esse rerum repraesentandarum rationem, cum liceat poëtae imitari, quaecunque proponat, aut qualia sint aut qualia esse oporteat (*ἢ οἷα ἔστιν ἢ οἷα εἶναι δεῖ*), quemadmodum ipse Sophocles dixerit, se quidem homines fingere quales esse oporteat, Euripidem vero quales sint. Quibus verbis equidem fateor me alia non invenisse, quae magis probarent et omnem Sophocleae ab Euripidea arte differentiam et Aristotelis, qua utriusque laudem praedicat, sagacissimam rationem. Jam enim ad utrumque pro artis suae genere aestimandum varius datur judicandi locus, ita ut alterum altero praestantiorem esse non possis decernere, priusquam de varii, quo quisque versatur, generis praestantia dijudicaveris.

Quae cum ita sint, Euripidem, licet alias egregium, tum tantum vides vituperatum ab Aristotele, cum veritatem negligit poëtae propriam. Nam etiamsi concedas ei, ut non tam celsos, quales Sophocles, homines proponat, semper tamen veros proponat necesse est; quoniam etiam quae prava sunt natura, non desinant vera esse. Quid? quod ne tum quidem bonus poëta desinit sibi constans esse, si mores proponit, quorum proprium est, nunquam sibi constare. Sic enim Aristoteles: *κἂν γὰρ ἀνώμαλός τις ᾖ ὁ τὴν μίμησιν παρέχων καὶ τοιοῦτος τὸ ἦθος ὑποτιθεὶς, ὅμως ὁμαλῶς ἀνώμαλον δεῖ εἶναι**). Nam *μίμησις* est, uti diximus, repraesentatio ejus quod cujusque rei proprium est; nec quemquam negaturum esse puto, tam celsioribus quam vulgaribus hominibus suos fines concedendos esse, intra quos versentur

*) XV. 6.

necesse sit: nisi forte perfectionis atque absolutionis summam speciem putet nulla lege circumscriptam et tantum non prorsus dissolutam.

Et sic quidem merito vituperata prae aliis Euripidis Iphigenia in Aulide. Οὐδὲν γὰρ ἔοικεν ἡ ἱκετεύουσα τῇ ὑστέρᾳ· χρὴ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἤθεσιν, ὥσπερ καὶ ἐν τῇ τῶν πραγμάτων συστάσει ἀεὶ ζητεῖν ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἢ τὸ εἰκός· ὥστε τὸν τοιοῦτον τὰ τοιαῦτα λέγειν ἢ πράττειν ἢ ἀναγκαῖον ἢ εἰκός. καὶ τοῦτο μετὰ τοῦτο γίγνεσθαι, ἢ ἀναγκαῖον ἢ εἰκός*).

## §. 1.

Itaque cum poëtae sit quaecunque exhibet, ita exhibere, ut aliter facta esse neque credibile neque verisimile sit, quodvis ejus opus exemplar proponat necesse est omnium, quae, id genus, aut antea facta aut postea futura sunt. Et haec quidem typica est, quam dicunt, poëseos indoles, ad quam, nisi fallor, spectant quaecunque de παραδείγμασι dicuntur, tum rerum compositione tum singulorum morum descriptione perspicuis.

Et hic quidem primum de fabula (μῦθος) monendum, quam quaestionem c. VIII. Aristoteles absolvit. Graecorum poëtas qui accuratius legerit, fabulae scit quanta sit in eorum operibus auctoritas. Et [illegible] est quod recte de veterum poëtarum traditione ju[illegible]emus, nisi antea materiam illam cognoverimus, in [illegible] tanquam a numine quodam tradita omnem eorum poësin videmus versantem. Nam licet oratione ma[illegible] sit eorum ingenium, bona tamen fortuna eos [illegible]utos esse dixerim eo quod fabularum habebant [illegible]am,

*) XV. 9 — 11.

qua uterentur, copiam et ita quidem natura comparatarum, ut maxima earum esset, si recte a poëta tractarentur, in auditorum animos vis. Itaque de fabula dixerim, quod de choro tragico dici solet, eximia numinis cujusdam gratia ita factum esse, ut quod necessarium sit tragicae arti ad summum perfectionis fastigium perventurae, hoc tanquam primum ejus fundamentum exstiterit, cui cetera omnia temporum decursu superstruerentur.

Sed ne a proposito nostro ad ipsam mythorum et originem et qualitatem aberremus, transeundum statim ad poëta qua fabulis utatur, rationem; de qua sic Aristoteles: χρὴ οὖν, καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός ἐστιν, οὕτω καὶ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐστι, μιᾶς τε εἶναι καὶ ταύτης ὅλης, καὶ τὰ μέρη συνεστάναι τῶν πραγμάτων οὕτως, ὥστε μετατιθεμένου τινὸς μέρους, ἢ ἀφαιρουμένου, διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον· ὃ γὰρ προσὸν ἢ μὴ προσὸν μηδὲν ποιεῖ ἐπίδηλον, οὐδὲ μόριον τοῦ ὅλου ἐστί*). Unde facillime intelliges, qua ratione fabula fiat aliarum actionum παράδειγμα. Nam cum nulla sit ejus pars, quam inutilem dicas in rerum compositione, omnium similiter factorum est quasi speculum, ita ut quae tales habuerint causas tales etiam habeant exitus doceat necesse esse. Itaque quanta est veterum fabularum praestantia! quas equidem nullam ob rem magis laudaverim quam ob earum summam simplicitatem. Omnia arctissimo vinculo ita inter se conjuncta sunt, ut facile alterum ex altero consequi appareat. Respice exempli gratia Sophoclis Oedipum, in qua praestantissima fabula ubi superfluum aliquod

*) VIII. 4.

est et inutile factum? Laii necem aufer, neque habebis diram illam, qua rex suum scelus cognoscit, scenam; Eteoclem et Polynicem pone non esse filios Iocastae, ubi locus atroci exsecrationi matris, quae imprudens violavit sanctissima hominum vincula? Quae exempla hanc potissimum ob rem afferre placuit, quia sic optime intelliges poëtae officium, qui priscam illam fabulam, secundum quam Eteocles et Polynices non sunt ejusdem matris, cujus Oedipus erat, filii, ad suam utilitatem studuerit commutare (*καλῶς χρῆσθαι* cf. §. 16.).

Sed tempus est transeundi ad alteram hujus capitis partem, qua de singulis personis loqui nobis proposuimus. Jam primum videmus esse hoc inter veteres et recentiores poëtas discrimen, quod, cum hi morum semper quaerant, quae in singulis videtur, proprietatem, illi contra personas suas proponunt tales, quales sint totius generis quasi *παράδειγμα*. Hoc spectant Aristotelis verba: *χρὴ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἤθεσιν, ὥσπερ καὶ ἐν τῇ τῶν πραγμάτων συστάσει ἀεὶ ζητεῖν τὰ τοιαῦτα λέγειν ἢ πράττειν, ἢ ἀναγκαῖον ἢ εἰκός. καὶ τοῦτο μετὰ τοῦτο γίγνεσθαι ἢ ἀναγκαῖον ἢ εἰκός* *).

Hoc enim loco Aristotelem, cum de *ἤθεσι* loquitur, non mores spectare, sine quibus neque tragoedia neque ullum artis opus cogitari potest, sed morum tantum, si dicere licet, proprietatem, ex alio intelligimus loco, ubi veteres poëtae dicuntur non curasse *τὰ ἤθη*, sed potius tales personas proposuisse quales Zeuxis, qui morum accurate effingendorum

---

*) XV. 10.

parum studiosus fuerit*). Sic enim dicit: ἔτι

*) Cf. Winckelm. Hist. art. T. IV. p. 90. Cujus viri sententiam, ex accurata artis cognitione progressam, gaudeo firmare ea, quae, Aristotele duce, de hac re disputavimus. Nam et Winckelmannus, vituperatis prioribus hujus loci interpretibus, Zeuxidis picturas putat ideo dici carere τῷ ἤθει, quoniam figurarum pulchritudini posthabita sit a pictore morum, qui vultu exprimuntur, cura. Et recte Meyerus (ad hunc loc. p. 176) Winckelmanno putat haec scribenti Niobes imaginem ante oculos versatam fuisse, in qua et ipsa vultus videmus significatos magis quam ad naturae veritatem expressos. „Auch diese herrlichen Bilder dürften vielen nicht natürlich, nicht individuell, nicht ausdrucksvoll scheinen, denn sie sind wie aus einer höheren Welt; wir aber möchten gegen solche Kunstrichter das Wort des Timomachus anwenden und ihnen ebenfalls zurufen: nehmt unsre Augen, sie werden euch göttlich vorkommen. Mit einem Wort, man wird sich die Figuren des Zeuxis, zumal die weiblichen, ohngefähr in Art, Styl, Schöne, Geist, Charakter, Verklärung und Erhebung des Menschlichen an ihnen, so vorzustellen haben, wie die Niobe, ihre dritte und vierte Tochter. Viel weiter wird man es jetzt noch schwerlich bringen; allein wir halten uns für völlig überzeugt, dass man damit der Wahrheit ziemlich nahe kommt, und auch dann behält Winckelmann im Ganzen Recht, wie er, der aus dem Geiste urtheilte, in solchen Fällen fast immer behält; selbst Aristoteles wird, so gut es angehen will, erklärt und verstanden seyn."

Ceterum adjiciendum mihi videtur, Plinii de Zeuxidis Penelope verba (l. 35. c. 9.), quibus mores ille pinxisse dicitur, non repugnare iis, quae de hac re supra disputavimus. Nam hoc bene tenendum, id quod mores dicant Latini non esse idem quod a Graecis ἦθος nominatur; sed recte Quinctilianus (Inst. orat. VI. 2.) linguam

ἄνευ μὲν πράξεως οὐκ ἂν γένοιτο τραγῳδία· ἄνευ δὲ ἠθῶν γένοιτ' ἄν. αἱ γὰρ τῶν νέων τῶν πλείστων ἀήθεις τραγῳδίαι εἰσί. καὶ ὅλως ποιηταὶ πολλοὶ τοιοῦτοι. οἷον καὶ τῶν γραφέων Ζεῦξις πρὸς Πολύγνωτον πέπονθεν. ὁ μὲν γὰρ Πολύγνωτος ἀγαθὸς ἠθογράφος· ἡ δὲ Ζεύξιδος γραφὴ οὐδὲν ἔχει ἦθος*). Huc etiam pertinent quae legimus XXVI. 28: τὸ παράδειγμα δεῖ ὑπερέχειν τοιούτους δ' εἶναι οἵους Ζεῦξις ἔγραψεν. Nam quod Aristoteles dicit esse παράδειγμα, equidem ad id referendum esse putaverim, quod bonus poëta non singula quaerit i. e. ἤθη, quae singulorum sunt, sed id potius consectatur, quod in quaque forma est absolutissimum. Sic per se patet, quid significetur voce ὑπερέχειν. Nam summae perfectionis exemplar semper superet necesse est eam, quam singulam dicimus esse singulorum indolem. Perlustra plerosque, qui in veterum tragoedia proponuntur, mores; ubinam aliquis ad ipsam vitae veritatem depictus, quemadmodum a Shakspeario depictas habemus personas? Ulysses astutus quidem, sed astutia ejus non singulis verbis, sed tota actione ita depicta est, ut habeas eum (in Sophoclis et Ajace et Philocteta) omnium astutorum hominum παράδειγμα; neque alia Creontis indoles, in quo vides regis exemplar, cum summo studio in legum publicarum severitate perseverantis. Neque tamen hoc tacendum, in describendis humilioribus moribus antiquos poëtas ad recentiorem fingendi rationem propius accessisse, tan-

---

latinam dicit carere nomine ἦθος, quippe quod non tam mores significet, quam morum quandam proprietatem.

*) VI. 15.

quam non dignis illis, qui tanta, quanta principes, sublimitate proponerentur*).

Quae quamvis ita sint, non tamen verendum, ne poëta ab ipsa naturae veritate abscedat; sed recte Aristoteles: ἐπεὶ δὲ μίμησίς ἐστιν ἡ τραγῳδία βελτιόνων, ἡμᾶς δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀποδιδόντες τὴν οἰκείαν μορφὴν, ὁμοίους ποιοῦντες, καλλίους γράφουσιν· οὕτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον καὶ ὀργίλους καὶ ῥαθύμους καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν ἐπιεικείας ποιεῖν παράδειγμα ἢ σκληρότητος δεῖ, οἷον τὸν Ἀχιλλέα Ἀγάθων καὶ Ὅμηρος**). Quem locum miror quam falso plerique interpretati sint. Nam cum Aristoteles vereatur, ne poëta, cum meliores proponere velit, veritatem negligat: virorum doctorum videmus tantam in Aristotelem impietatem, ut dixisse eum putent, poëtam, si ὀργίλους imitari velit, σληρότητος, sin vero ῥα-

---

*) Cf. Schillerum. Epp. ad Goeth. III. p. 52. „Es ist mir aufgefallen, dass die Charaktere des griechischen Trauerspiels mehr oder weniger idealische Masken und keine eigentliche Individuen sind, wie ich sie im Shakspeare und auch in Ihren Stücken finde. So ist z. B. Ulysses im Ajax und Philoktet offenbar nur das Ideal der listigen, über ihre Mittel nie verlegenen, engherzigen Klugheit; so ist Kreon im Oedip und in der Antigone bloss die kalte Königswürde. Man kommt mit solchen Charakteren offenbar viel besser aus, sie exponiren sich geschwinder und ihre Züge sind permanenter und fester. Die Wahrheit leidet dadurch nichts, weil sie blossen logischen Wesen ebenso entgegengesetzt sind als blossen Individuen."

**) XV. 11.

ϑύμους, ἐπιεικείας παράδειγμα proponere debere*). Qua quam majorem putabis veritatis laesionem! Atque ipsius Homeri quaenam durior foret accusatio, quam si eum, Achillem propositurum irascentem, fecisse diceres asperitatis exemplar, Paridem vero non tam mollem quam moderatum hominem et aequitatis plenum proposuisse? Minime sane talia conveniunt iis quae supra de Aristotelica μιμήσει disputavimus; sed si vera sunt quae diximus de veritate, quam philosophus faciat artis principium, tum etiam ὀργίλος semper ὀργίλος et ῥάθυμος semper ῥάθυμος maneat necesse est; sed talis uterque propositus, quales pictor personas suas proponit, ὁμοίους quidem, sed καλλίους. Quae cum ita sint, non dubito in eorum sententiam ire, qui cum Heinsio post παράδειγμα supplendum esse putant μᾶλλον. Nam tum talem habemus ab Aristotele sententiam expressam: poëtam, ubi imitatur iracundos et socordes et aliis id genus moribus indutos, moderationis exemplar facere potius qnam extremae duritatis oportet; quemadmodum Achillem finxere Agatho et Homerus**). Quae sententia mihi quidem dignissima

---

*) Sic Hermannus atque alii, de quibus vide Buhlii comment. ad Arist. de arte poet. Ed. Bipont. p. 353.

**) Tandem ut etiam a grammatica tueamur nostram de Aristotele sententiam, primum monendum, vocem μᾶλλον saepe omitti ante particulam comparandi, cujus ellipsios exempla dedit Abresch. in Animadv. in Aesch. T. II. p. 19. Cf. Jacobs Anthol. not. ad Meleagr. Ep. CVI. p. 117. Deinde sunt duo maxime in nexu verborum, quibus adjuvatur nostra sententia: alterum, quod Aristoteles dicit ἢ σκληρότητος, non καὶ σκληρότητος, quod sane

videtur Aristotele. Nam cum poëtam dixerit imitari debere pictorem, nonne sic maxime hunc ille imitatur, ut omnia quidem lineamenta accuratissime depingat, sed vividiora illa et coloribus ita distincta, ut major sit imaginis quam ipsius naturae convenientia? Quid? quod et ipsa vitia, quae natura maxime offendunt, poëta vera quidem, sed ita proponit, ut offendere desinant, — *οἷον εὐθὺς τὸ γελοῖον πρόσωπον αἰσχρόν τι καὶ διεστραμμένον ἄνευ ὀδύνης**). Sed de hoc jam supra disseruimus.

## §. 20.

Restat denique ut quaedam adjiciamus de Arist. poet. c. IX., ubi disputatur de poëtae officio ejusque ab historici arte differentia: quae nunc demum satis intelligi posse putamus, postquam de veterum in moribus depingendis arte locuti sumus.

Primarium inter poësin atque historiam discrimen est hoc, quod haec refert *τὰ γενόμενα*,

---

lecturi essemus, si sibi responderent verba *ἐπιεικείας ἢ σκληρότητος* et *ὀργίλους καὶ ῥαθύμους*; alterum autem, quod ad verba *μιμούμενον καὶ ὀργ. κ. ῥαθ.* adjicit *καὶ τἆλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν*, unde vides, verba *ἐπιεικείας ἢ σκληρότητος* non solum respicere ea, quae de *ὀργίλ. καὶ ῥαθυμ.* dicantur, sed etiam alios homines, variis prorsus moribus indutos. Jam vero cum, licet de pluribus sermo sit, in singulo tamen quoque fingendo poëta studere debeat *ἐπιεικείας μᾶλλον ἢ σκληρότητος ποιεῖν παράδειγμα*, facile intelligitur, cur philosophus in solo Agathonis et Homeri Achille laudando acquiescat, quippe qui praebeat omnium, licet variorum, morum repraesentandorum exemplar.

*) V. 1.

illa autem οἷα ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον. Unde hoc potissimum patet: cum quidem historiarum scriptor semper studeat quaecunque facta sint referre, qualia aut ipse ea vidit aut ab aliis comperta habet, poëtam videmus in ipsa animi humani penetralia intrantem atque ita quidem omnia proponentem, ut, quaecunque evenerunt tali neque alio modo evenire potuisse, sive ex ipsa, qua eveniunt, necessitate, sive ex aliarum rerum analogia auditores sibi persuasum habeant. Itaque, quod ad cognitionis formam attinet, poëta ratione, historicus usu, quidquid proponunt, cognitum habent; unde per se sequitur, poëtam esse philosophum; deinde, cum philosophus non singula sed generalia quaerat, majorem etiam ejus esse quam historici vim, qui in singulis acquiescat. Sic quidem Aristoteles: διὸ καὶ φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας. ἐστιν· ἡ μὲν γὰρ ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει. Jam vero neminem arbitror esse, qui, lectis quae supra disputavimus, dubitet adhuc quid voce τὰ καθόλου significetur. Est enim hoc, quo, quidquid proponit poëta, fit παράδειγμα: neque melius παραδείγματος notionem explicare possumus, quam poëtam dicentes omnes suas personas ita proponere, ut complectantur quae sint totius cujusdam generis quasi natura communia. Ne multa: Aristoteles, cum poëtam dicit τὰ καθόλου sequi, spectat typicam, quam vocant, poëseos indolem, quae in eo est, quod poëta quaerit non quae facta sint aut quis fecerit, sed qualia facta sint et qualis fecerit. Itaque Aristoteles: ἔστι δὲ καθόλου μὲν, τῷ ποίῳ τὰ ποῖ' ἄττα συμβαίνει λέγειν ἢ πράττειν κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον· οὗ στοχάζεται

ἡ ποίησις ὀνόματα ἐπιτιθεμένη· τὰ δὲ καθ' ἕκαστον, τί Ἀλκιβιάδης ἔπραξεν, ἢ τί ἔπαθεν*).

*) Prorsus alio modo hanc Aristotelis sagacissimam argumentationem alii intelligunt, e quibus Fridericum de Raumer memorare satis est, historicum celeberrimum, quem tamen nescio an studii sui nimio amore abreptus, tum de poësi tum de Aristotele paulo levius hic cogitaverit. Nam cum primo, verba: *οἷα ἂν γένοιτο* interpretatus, non tam voci *οἷα* quam *γένοιτο* putet primariam inesse vim, ita ut non vertat: „als welches es geschehen konnte", sed „wie es hätte geschehen können", sic argumentationem suam prosequitur: „Wendet man den ersten Satz so: die Dichtkunst soll darstellen, wie etwas nach Wahrscheinlichkeit und Nothwendigkeit hätte geschehen können, so wäre alle Geschichte Poesie; denn die Thatsachen konnten nicht bloss geschehen, sie sind wirklich geschehen. Aristoteles will also ohne Zweifel sagen: der Dichter wird nicht bloss auf das wirklich Geschehene angewiesen, sondern er darf eben erdichten, erschaffen." (Comment. Berol. scient. acad. 1828. p. 161.). Quae cum ita sint, id praesertim intercedit inter Raumeri et nostram de hoc loco sententiam discrimen, quod ille quidem putat, ab Aristotele hic poëtis concessam esse non solum tradendi quae jam facta sint, facultatem, sed et alia, quae traditione digna sint, inveniendi, nos autem philosophum nostrum putamus respicere illud poëtae negotium, quo, quidquid proponit, denuo mente procreat, cum quidem non curet quae sint ab historia tradita, sed qualia fieri potuerint ex eorum ipsa necessitate. Itaque quod supra disputavimus, poëtam ratione, historicum usu, quidquid proponant, cognitum habere, hoc jam claris verbis videmus ab Aristotele expressum, neque mirandum, poëtam *φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον* historico appellari. Nam qui ratione, non usu cognoscit, is sane *φιλόσοφος*,

At quis verborum: *οὗ στοχάζεται ἡ ποίησις*

---

sive tradita sequitur sive ipse fingit quae tradat; quam ob rem equidem, licet poëtae esse non negem, in omni repraesentatione eligere quae ad rerum naturam pertineant, rejicere vero quae fortuita sint et casui obnoxia, philosophicam tamen istam indolem in ipsa potius cognoscendi et denuo producendi facultate quam in rerum delectu ab Aristotele positam esse putaverim. Deinde hoc maxime me offendit, quod Raumerus poësin *σπουδαιότερον* ab Aristotele putat appellatam, quoniam ille suae tantum aetatis historiam spectaverit, quae fuerit mera rerum ex annorum ordine enumeratio. Quid? num credibile est, Aristotelem, qui quaecunque magna et praestantia in artium literarumque genere exstiterunt, studeat recensere, sui tantum temporis historiam respexisse et tum quidem respexisse, cum omnis poëseos instituat cum omni historia comparationem? Hoc cum minime mihi persuadere possim, *σπουδαιότερον* puto poësin dictam, non quia sit historia aut praestantior aut dignior, sed quia sit omnino majoris momenti, largioremque habeat, in qua gravis appareat, rerum provinciam. Et hoc bene tenendum: historiam, cum quae a singulis facta sint recenseat, non docendi, sed referendi viam ingredi, poësin autem, quippe quae non in singulis acquiescat, sed in singulo quoque quae sint generalia studeat inquirere, omnium, quae aut antea facta aut postea futura sint, proponere exemplar. Quibus verbis tetigimus id, quod summum est in poësi atque omni arte, typicam scilicet ejus indolem, quae in eo cernitur, quod in singulis semper generalia, in generalibus autem singula poëta cognoscit: qui est Goethiani versus sensus:

> Findet in Einem die Vielen, empfindet die Viele wie Einen:
> Und ihr habt den Beginn, habet das Ende der Kunst.

Et haec quidem, nisi fallor, sunt *τὰ καθόλου*,

ὀνόματα ἐπιτιθεμένη sensus? Sequamur ipsum Aristotelem, qui e comoedia spectanda dicit hoc maxime perspicuum fieri. Jam igitur primum patet, comoediarum scriptori mores obversari, quos proponere velit, priusquam personam habeat, quae prodeat hisce moribus ornata. Avaritiam vult depingere, non avarum. Sed cum quaecunque avaritiae propria sunt, poëta secum perpendit, tum personam inveniat necesse est, quae tali modo describatur; quae persona nihil refert utrum vera sit i. e. ab historia accepta, an potius sit

---

in quibus definiendis ita quidem cum Raumero consentio, ut — quod infra docebo — aliam putem eorum esse quam quae Lessingio placet, significationem. Jam vero V. D. τὰ καθόλου ratus esse id quod cujusque rei proprium est, neglectis quidem omnibus quae in casu posita sunt, talem statuit inter poësin et historiam differentiam, ut haec quaerat omnia et ratione et casu facta, et proponat eo ipso, quo exstiterunt, ordine, nulla interioris vinculi ratione habita, illa contra omnia referat ad unum centrum et, cum singula quaeque recenseat, non eligat nisi ea, quae pertineant ad ipsam rei proponendae naturam. Quae quidem sic libentissime concedo, quatenus ista via poësis perveniat ad id, quod verbis τὰ καθόλου significari existimo; nam quo alio modo poëta perficere potest, ut quae proponit, non singulorum sed omnium similiter factorum sint exemplar, nisi si accuratissime sequatur id quod rebus necessarium est, rejiciat vero quae in casu posita sunt? Sed respecturus poëseos proprium, quo ab historia differt, officium, hoc inter utramque dixerim intercedere discrimen, quod historia quaerat quae singulo cuidam acciderint, poësis autem qualia cuique accidisse aut verisimile aut necessarium sit, quem semel sive in hac sive in illa vitae conditione esse posueris.

ab ipso poëta ficta. Nam utraque ratione non cujusdam hominis mores ostendit, sed totum quoddam repraesentat hominum genus; quemadmodum equidem veteris comoediae non magis Socratem, quam Pyrgopolynicem aut Artotrogum putaverim ex historia desumptos. Quae cum ita sint, maxima intercedit differentia inter poëtam comicum et iamborum scriptores, qui singulum semper persequuntur et — quae est omnis parodiae ratio — ridiculum student facere non fictum aliquod, sed quod vere existit. Hoc spectant Aristotelis verba: *ἐπὶ μὲν οὖν τῆς κωμῳδίας ἤδη τοῦτο δῆλον γέγονε. συστήσαντες γὰρ τὸν μῦθον διὰ τῶν εἰκότων, οὕτω τὰ τυχόντα ὀνόματα ἐπιτιθέασι, καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ ἰαμβοποιοὶ περὶ τῶν καθ' ἕκαστον ποιοῦσιν**). His praemissis, facile quae

---

*) Victorius pro *ἐπιτιθέασι* dedit *ὑποτιθέασι*. Sic etiam legunt codd. Ven. Leid. Paris. 2938. (qui in hoc loco desinit; nam reliqua desiderantur) 1741. 2040. (Ms. Morel.); et Guelph. Valla vertit „subjicere" Nihilominus tamen retinendam esse censeo vulgatam lectionem propter antecedentia *ὀνόματα ἐπιτιθεμένη*; sed sic mihi videtur *ὑποτιθέασι* in hunc locum irrepsisse, ut antea ei fuerit tanquam explicationis causa adscriptum, poëtarum quidem ratione habita, qui personis suis dicuntur partes aliquas subjicere. Itaque ut brevi repetamus, quae disputavimus: poëtam, postquam materiam aliquam tractandam sibi sumsit, personas oportet eligere, quales aptos esse putet talia perficere. Quam ob rem vix vituperaverim cum Lessingio Dacierum et Curtium, quorum alter sic locum vertit: „car les poëtes comiques après avoir dressé leur sujet sur la vraisemblance imposent à leurs personnages tels noms qu'il leur plait", alter: denn wenn die Komödienschreiber den Plan der Fabel nach der Wahrscheinlichkeit entworfen haben;

sit significatio verborum: οὐ στοχάζεται ἡ ποίησις etc. intelligas. Nam levius de hoc loco cogitasse patet, qui Aristotelem putant hic nominum illorum fictorum mentionem facere, quae qui audiat, statim sciat, quinam sint eorum, qui iis appellentur, mores. Haec enim Lessingii sententia, qui, postquam hisce nominibus non novam solum sed etiam antiquam comoediam usam fuisse demonstravit*), vera etiam dicit cum comoediae**) tum tragoediae***) nomina non tam singulos spectare quam totum quoddam hominum genus. Jam vero quamvis non dubitemus hisce assentire, minime tamen nobis persuadere possumus, Aristotelem hic de solis nominibus cogitasse, sed, praesertim si spectamus quae de constituenda fabula†) dicuntur, hanc haud dubie veram videmus esse Nostri

---

legen sie den Personen willkührliche Namen unter" — nisi forte uterque peccaverit in versione verborum ὀνόματα τυχόντα, quae non sunt arbitraria nomina, sed talia nomina, qualia apta videntur poëtae, aut historiam perlustranti aut ex sua ipsius mente haurienti. Quod satis patet ex egregio Antiphanis sive Aristophanis fragmento, ex dramate Ποίησις inscripto ab Athenaeo (VI) servato, ubi comicus, postquam felicem dixit esse poëtam tragicum, quippe qui non nova referre debeat sed monere tantum id quod omnibus notum sit, sic pergit:

ἡμῖν δὲ ταῦτ' οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ πάντα δεῖ εὑρεῖν ὀνόματα καινὰ etc.

Sed hoc praecipue tenendum, ὀνόματα non tam esse quae vulgo dicuntur nomina, quam potius mores sive partes; quod optime habes probatum c. VII. verbis γνωρίμων ὀνομάτων.

*) Hamb. dramat. II. p. 297.

**) ibid. p. 299 — 303.

***) ibid. p. 306, 307.

†) c. XVIII.

de poëtae officio sententiam: Cum historiae sit referre quae facta sint et quaecunque singulo cuidam acciderint, enumerare: poëseos non interest nisi talia proponere qualia cuique possint accidere, qui in simili versetur vitae conditione. Sic non Oedipi nomen est, quod movet poëtam Oedipodiam canere, sed tum demum illud nomen obvium fit poëtae, postquam secum perpendit diram deorum, quae facinus scelestum sequitur, ultionem.

Sed hic tenenda fabularum, de qua jam supra disputavimus, praestantia. Hae enim ita compositae, ut vix humani aliquid accidisse videatur, quod non in illis haberes vividissimis coloribus expressum. Unde fit ut vix ulla opus sit poëtae, si quid proponere vult, indagatione; sed cum primum sibi proposuit exsecrationis horrorem canere, Oedipi nomen est obvium; ita ut poëseos penetralia debeas intrare, si quidnam prius fuerit velis decernere, utrum quae ipse poëta excogitavit an Oedipi nomen ex fabula depromtum. Sed quidquid id est, ubi primum Oedipi nomen accepit, non amplius poëta: talis, dicit, est ejus, qui sanctissima sanguinis vincula violat, sors, sed potius talis est Oedipi et talis erit omnium, quicunque Oedipi sequuntur exemplum. Jam quis non putet, talia inesse verbis *ὀνόματα ἐπιτιθεμένη*, quibus explicandis sic maxime a Lessingio differo, ut ea non vertam quemadmodum ille: nominans sive appellans, sed potius: nominum delectu, nomina quaerens.

Quae cum ita sint, neminem offendent quae postea de tragoedia adjiciuntur: *ἐπὶ δὲ τῆς τραγῳδίας τῶν γενομένων ὀνομάτων ἀντέχονται. αἴτιον δ' ὅτι πιθανόν ἐστι τὸ δυνατόν. τὰ μὲν οὖν μὴ γενόμενα φανερὸν ὅτι δυνατά· οὐ γὰρ ἐγένετο, εἰ ἦν ἀδύνατα.* Haec enim est causa,

cur antiquarum tragoediarum primarium fundamentum sit fabula, cujus hanc summam laudavimus, quam poëtis praebuerit utilitatem, quod quidquid animum movere potest, vividissimis coloribus habet expressum. Nihilominus tamen poëtam, etiamsi utatur, quae ab historia accepta habet, poëtam esse, jam supra diximus, ubi inquisivimus in verba: ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ἐστι (§. 16.).